



13/88



13.234



41
520



MAXIMILIANI STOLL

S. C. R. A. M. CONS. NOSOCOMII SS. TRINIT.
PHYSICI ORDINARII, ET PROF. PRAX.
MEDICAE P. O.

P A R S S E X T A

RATIONIS MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI

Nova editio accuratior et emendatior.



TICINI MDCCXCI.

Apud Balthassarem Cominum

Præsidib. rei lit. permitt.

СЛОВА РИМЛЯН
ОБЩЕСТВОВНОСТИ АДА
И МИРЫ СВОЕЙ
СЛАВЫ И ПРОЧЕГО
ВЪ ВѢДѢ

И. МОСКОВСКІЙ ТЕАТРЪ АНДРЕЕВЪ

СЛОВА РИМЛЯН

D E

METHODO EXAMINANDI AEGROS.

Antequam ad lectos aegrorum accedamus, quaedam *Prolegomenon* loco dicenda sunt, de modo instituendi anamnesin, et de methodo praesentem aegri statum examinandi. Plurimum interest, ad formandam adcuratiorem morbi diagnosis, si ea, quae praegressa sunt, probe perspecta habeamus; hinc est, quare longe facilius iis hominibus mederi possimus, quorum vitae ratio nota nobis est, quibuscum ipsi conversamur. *Celsus* ait, meliorem esse medicum amicum, quam extraneum, si par sit caeteroquin in utroque scientia, ob easdem, quas attuli, rationes.

Ad anamnesin ergo rite instituendam sequentes ut plurimum quaestiones aegro proponi debent:

1 An morbis puerilibus, id est variolis et morbillis defunctus sit.

2 An unquam graviori aliquo, et notabili morbo, sive chronicō, sive acuto decubuerit, et quali, qua ratione fuerit curatus, an sponte sua, absque adjumento artis, et si usus fuerat, quibusnam medicamentis, an a medico, vel ab alio artis non perito fuerit sanatus?

3 Quae valetudinis morbum praesentem pra-

xime praecedentis conditio fuerit an perfecta usus fuerit sanitate, an vero aliquid jam ante doluerit, et quid, et ubi?

4 Tandem examinando accedimus ad ipsum morbi exordium, quis, et qualis primus morbi insultus fuerit, quo die, et diei tempore? an proxime antecesserit aliquid extraordinarii, non consueti in diaeta, viveandi modo, occupationibus? an nihil ipsi aegro occurrat, quod ipsimet videretur morbo ansam dedisse.

Moneo hic, ne Medicus aegri narrationem ex facili interrumpat, donec illam ex toto absolvitur; fit enim, ut aeger, continuis quaestionebus sollicitatus, et a tramite suae narrationis abductus, multarum circumstantiarum obliviscatur, quae tamen multum ad accuratiorem morbi idem formandam conferrent; si vero morbi historia, ab ipso aegro facta, manca appareat, eandem Medicus resumere denuo debet, et debitam quaestiones interponere. His peractis, in morbo praecipue acuto, ad actiones vitales, animales, et naturales oportet peculiariter attentum esse,

Persequar hic aliqua paulo majori studio, quae nobis ex usu fore, ferme quotidie videbitis, et quae non ex vana speculatione desumpta sunt, sed experimento quotidiano confirmata quae maximam vobis facilitatem in dignoscendo morbo, quem examinatis, si ea menti altius infixa, atque in consuetudinem tracta teneatis, conciliabunt; etsi fors prima fronde has observatiunculas ad minutias potius, quam ad momentosa praecepta pertinere videantur.

Praemissis ergo iis, quae ex aegri relatione haberi possunt, examinandae aegrotantis functiones sunt, quas inter motus cordis et arteriarum,

primarium sibi locum vindicant ab omni retro antiquitate. Non hic altius repetam, quae de pulsu aliunde scitis; sed ea solummodo, quae ad praxin, ad morbi diagnosin, recte instituendam frequentius occurunt, et non ex hypothesi aliqua, sed ex observationibus deprompta sunt. Circa pulsuum examen sequentia notanda sunt:

1 Pulsum fallacissimam rem esse; eum alium atque alium esse, prout aetas, sexus, temperamentum, assumpta variant; alium sedenti, alium cubanti, stanti alium; alium, si animus curis vacuus sit, alium homini tristato, sollicito, et pro quovis animi affectu, pro quavis ferme attentiori cogitatione, alium aliumque. Hinc pro canone practico observetur: *nunquam indicatio formanda est ex solo pulsu*; dixi, *ex solo pulsu*; aut si omnia alia, quae ad morbi cognitionem facere possint, medicum destituant, et solus ipsi pulsus supersit, nunquam tamen ex hoc solo indicio Medicus magnum quid moliatur, nunquam anceps consilium arripiat.

2 Utprimum medicus aegrum accedit, nunquam statim pulsum exploret, aut si id fecerit, nunquam tamen aliquid de morbi natura concludat. Aeger aspectu medici; praecipue, si is prima vice accedat, et ignotus alias fuerit, teritus, de sententia medici circa suam valetudinem summopere suspensus, nihil certi pulsu suo nos decebit, sed minus attentum medicum in errorem inducet.

3 Puerorum pulsum omnium fallacissimum esse, scire oportet; hinc pro regula practica assumi debet, *Pulsum puerorum nihil prorsus conferre ad morbi cognitionem*. Corpus puerile, aut magis infantile, cum totum quasi nervus sit, et

vel levissimis stimulis haec summa corpusculi irritabilitas in motus inordinatissimos agatur, pulsuum mira varietas dabitur, ex qua nihil prorsus determines; accedit, quod aetatis incremento pulsus variet.

4 Pulsus in senibus, et rhythmō et tempore, universim omni modo inaequalis esse potest, intermittens, remittens, licet sanitas huic aetati competens sat belle subsistat. Hinc alias canon est: quod pulsus senum, utū inordinatus is fuerit, terrere medicum non debeat, si caetera bona sint. Habuimus in nosocomio hominem senicum erysipelate faciei laborantem, qui admirabilem pulsuum varietatem nobis exhibuit, tam in morbo ipso valde levi, quam tempore sanitatis.

5 Sunt quidam morbi, ubi mira pulsuum varietas est, unde nihil cautus medicus concludere valet. Sic in morbis pulmonum pulsus vix aliquid docet; securiorem et diagnosin et prognosin respiratio dat. Ex respiratione bona in morbis pectoris, qualiscunque tibi pulsus videatur, prognosticon faustum formato, ait *Bagliuus*. Viri hypochondriaci, foeminae spasmis et passioni hystericae obnoxiae mille modis turbatos pulsus exhibent. Videmus ferme quotidie in aegris nostris, praecipue in puellis hystericis, miram pulsuum variationem.

6 Serio notandum, non omnem pulsum frequentem, vel celerem, propterea febrilem esse. Accidit non raro, ut post morbum gravem, diuturnumque, post praegressas evacuationes sanguineas admodum copiosas, arteriarum ictus ~~se~~ celerrime insequantur, quin propterea febris adsit. Est hic effectus Keneangeiae, ubi celeri-

Examinandi Aegros.

7

tas motus id compensare debet, quod in quantitate deest. Hinc, si praeter pulsuum celeritatem adsit calor praeternalis, quem aeger ipsemet sentit, sique insuper quaedam functio laesa sit, febrim adesse credendum est. *Hippocrates* minus attentus ad pulsum videri ex eo potest, quod pulsuum mentionem perraro faciat; una alterave vice memorat *venas in temporibus valde salientes*. Posterioris aevi medici, quos inter *Galenus* coryphaeus erat, varia pulsuum nomina introduxere, quorum notitia ad historiam artis potius facit, quam ad ejusdem exercitium. Unicum *Celsum*, egregium imprimis inter antiquos scriptorem, de pulsu loquentem audiamus: l. 3. c. 6. sic ait: *venis maxime credimus, fallacissimae rei, quia saepe istae lentiores celerioresque sunt, et aetate, et sexu, et corporum natura.*

7 Cum supra dixeram, in dignoscenda febre non ad *pulsum* solummodo; sed et ad *calorem* animum advertere oportere, videndum est, quantum calori quoque tribuere possimus. Sed audiamus potius *Celsum*, uti in plerisque insignem, sic certe hic praestantissimum; loco superius citato ait: *altera res est, cui credimus, calor, aequa fallax; nam hic quoque excitatur aestu, labore, somno, metu, sollicitudine.* Nos dum aegros nostros visitamus, quosdam recens e somno expergefatos saepius deprehendimus, quorum corpus solito calidius est, cum pulsu pleniore, citatioreque, ita ut imperitior quis febrietantem existimaret eum, qui tamen apyretos est. Audiamus praecepta *Celsi*, qui prioribus sequentia subjungit: *Igitur intueri quidem etiam ista oportet, sed his non omnia credere; nec protinus etiam sub calore, motuque febrem sece conceipe.*

re: sed ita, si summa quoque arida inaequaliter cutis est, si calor et in fronte est, et ex intimis praecordiis oritur, si spiritus ex naribus cum fervore prorumpit, si color aut rubore, aut pallore novo mutatus est, si oculi graves, aut et persicci, aut subbumidi sunt; si sudor, cum fit, inaequalis est; si venae non aequis intervallis moventur; ob quam causam medicus neque in tenebris, neque a capite aegri debet residere, sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantibus perspiciat.

8 Pulsus mutabilis est, et variis in stomachi affectibus, praecipue a repletione, et crudo primarum viarum apparatu. Mutabilis etiam est in pueris vel verminosis, vel aliis quibuscumque ventriculi et intestinorum crudis sordibus affectis.

9 Si feroce in parte quadam dolores saeviant, pulsus fiunt parvi, exiles. In morbis ventriculi pariter evadunt parvi. Omnes, qui naturaliter ventriculo debiliori praediti sunt, debiliiores, et exiliores pulsus habent. Juvat haec omnia scire, ut una cum aliis notis sanum formare judicium possimus, aut ne pulsu decepti male ratiocinemur de morbo.

Alterum est, quod magnum in dijudicando, aut praedicendo momentum habet, *Respiratio*. Nos theoriam respirationis missam facimus, id que solum leviter perstringimus, cuius nobis multiplex usus erit. *Hippocrates*, et tota schola Coa magis longe ad respirationem quam ad pulsum attendebant. *Respiratio* juxta ipsum maxime observanda est in omnibus morbis, praesertim acutis. Spiritus liber in acutis magnum prognosticon pro salute aegri; item libro de *coacisis*

prænotionibus ait: respirationem densam, id est, frequentem et parvam significare inflammationem in locis principalibus. Alibi asserit, respirationem frequentem et parvam dolorem aut inflammationem significare supra praecordia.

Respiratio parva et rara, futurae mortis signum est juxta Durenum.

Delirii proprium signum, non tamen inseparabile, est magna et rara respiratio; nam sola voluntas in vitio est; est enim æget negligens sui, unde, nisi coactus, non respirat.

Qui cum libertate spirandi, et cum doloris acerbissimi notabilium partium vacatione, et somni benigitate interierit, Hippocrates vidit neminem, ait idem Duretus in coacis prænotiones.

Baglivius asserit, se centies obsevasse, quod bona respiratio in variolis sit unum ex optimis signis, licet alia sint gravia.

Pulsu et respiratione exploratis interrogandum, num quid doleat, et quae doloris illius species sit, an gravatus, an ardens, punctarius, premens, contorquens, continuus, periodicus, aut per intervalla rediens.

Notandum hic: 1 non omnem dolorem punctorum infra septum transversum, qui ad attaetum augetur, propterea inflammatorum esse, hinc non in omni dolore punctorio sanguinis missione opus esse, nisi caetera venaesectionem coincident. 2 Notandus aphorismus sextus L. II. Hippocratis: *quicunque dolentes aliqua parte corporis, omnino dolores non sentiunt, nisi mens aegrotat*, Item 3 aphorismus 33mus L. IV. *Si cui pars quaedam doluerit, priusquam aegrotet, ibi firmatur morbus*. 4 Dolores, qui sine signis levantur, letales ait Hippocrates in Coacis, Hoc

effatum Hippocratis toties verum comprobatum est, at tamen minus attenditur, quam oportet. Dolores inflammatorii subito absque rationabili causa disparentes, certo praesentem gangraenam indicant, et mortem proximam; at dolores a solis spasmis oriundi saepius subito cessant, absque tam funesto eventu. Horum praevia notitia instructus medicus, facilius de statu aegri certior fiet.

His perspectis, videndum, qua ratione aeger habeat circa somnum, et vigilias, circa sensus externos internosque. Contemplandus dein est externus corporis habitus, et actiones naturales. Multa indicant oculi, faciei color, lingua, os, appetitus, hypochondria, cardia, abdomen, alvus, urina, excretiones quaecunque aliae, quae ipsi solemnes fuerant, an perstent, an vero suppressae, an auctae sint.

Oculos in acutis contemplari oportet, quoniam ex iis plurima leguntur. Juvat hic quedam Hippocratis effata adducere, ut sciamus, ad quid utilis esse oculorum consideratio possit. L. VII. aphorismo 81. ait Hipp. *Quibusunque in aegritudinibus oculi ex voluntate lacrimantur, bonum; quibus vero citra voluntatem, malum.* Illud enim mentis praesentiam, hoc ejus absentiam denotat. In L. Praedictionum sequentia habentur graphice descripta de conditione oculorum in acutis: *si lucem fugiant, aut involuntarie lacrimantur, aut distorquentur, aut alter altero minor fiat, aut albas partes rubentes habeant, aut venulas vividas, aut nigras, aut leniae ac sordes circa oculos appareant, aut hi etiam instabiles, aut eminentes, aut cavi vehementer facti, aut squalentes, et obscuri fuerint; aut color totius faciei alteratus fue-*

Examinandi Aegros.

¶

rit, haec omnia mala et perniciosa esse putantur est.

Libro eodem ait: *oculos semper intueri oportet, si enim oculi frequenter moveantur, furiosos eos fore timor est.*

In libro de coacis praenotionibus: *oculi assidue nictantes, mali.*

L. 6. de morbis popularibus ait: *oculus insarescens malum.*

L. 1. Praedictionum: *Oculus hebes malus; et ibidem: oculus fixus et caliginosus malus.*

L. prognost: *oculi partes albas rubentes habentes, malum signum.*

L. VI. de morbis popularibus: *oculi audacia delirii signum.*

L. Prognosticorum: *in subapparitionibus oculorum in somnis, si albae quid partis subapparuerit, palpebris non commissis, si id non ex alvi profluvio; aut medicamenti potionē fuerit, aut aeger ita dormire consuevit, malum signum, et valde letale.*

L. de coacis praenotionibus ait: *oculorum obscuratio, et vox acuta referens planctum, convulsorium est. Et ibidem: Quibus oculus morbi regis colore infectus, ac caliginosus est, strepitu sputi multo in pectore existente, et facies tristis in pleuritide, hi pereunt. Hujus effati veritatem nuper in Pleuritico vidimus in nosocomio nostro. Corporis sanitatem ac firmitatem Hippocrates ex oculis metitur; dicit enim: oculi prout validi fuerint, ita etiam corpus. Baglivi, maximus observator, quem amor hypothesium nunquam seduxit, qui omnem in observando vim posuit, et qui juventutem suam penes aegros in variis Italiae nosocomiis trivit, quem praematurum fa-*

tum rei medicae eripuit, is, inquam, ait: *minus quam ab aegro discedas in acutis, et in inflammatoriis, nisi oculos inspexeris; quando illos a naturali statu mutatos videbis, time semper, sicut post opiatum in dysenteria, post chinam chiae in magno primarum viarum apparatu.* Idem gravissimus auctor asserit, oculos caligare, et obtenebrari in pectoris acutis morbis, letale esse, Hollerius vero affirmat, oculorum ruborem esse signum corrupti pulmonis, aut viscerum e directo, cerebri quoque, et ventriculi inflammati.

Considerato oculorum statu, ad faciem ejusque colorem medicus attendat; qua de re, ut sanum judicium ferre possit, proderit quorundam aphorismorum meminisse, quos vel Hippocrates, vel illustres quidam Hippocratis sectatores reliquerunt.

Facies optima, quae sanorum faciei est simillima, maxime vero ipsa sibi ipsi.

L. VI. de morbis popularibus dicit: facies bona in magnis morbis bonum.

L. De coacis praenotionibus: quibus facies sana, praecordia non mollia, non liberantur circa multi sanguinis ex naribus fluxum, aut coxendicum dolorem.

L. III. de diaeta, dicitur: qui faciem decolorent, et ubi comedent, paulo post eructant acida, et acor in nares proserpit, his corpora pura non sunt.

L. de coacis praenotionibus: faciei bonus color et torvitas in morbo acuto, malum. Item eodem loco habetur: circa faciem color bonus, et sudores non febrentibus, stercorea vetusta subesse significant, aut victus rationem inordinatam. Et ibidem denuo dicitur: qui faciem flo-

ridam habent, et alvum liquidorem, suppurationes circa pulmonem habent.

Ne autem erremus, si malum faciei statum videoas, interrogare oportet aegrum, an nimium ante vigilaverit, aut diarrhaeam aut famem passus sit, quae singula mutationem faciei in pejus faciunt.

Rubores narium signa sunt ventris facile lubrifici, signa quoque pulmonum aut iecoris, ut docet Hippocrates in coacis.

Bagliuus ait: in chronicis morbis, si facies naturalis sit, nunquam crede, adesse obstructiones in visceribus; si mutata sit a naturali, id obstructionum signum, et turbatae oeconomiae naturalis est. *Jacotius* in coacas praelectiones ait: omnis rubor faciei vel sanguinis copiam, vel internam phlegmonem, vel calidam intemperiem, vel visceris corruptionem denotat; alvus dura esse solet iis, qui nimium facie rubent.

Accedimus ad examen oris, linguae, fauicium. Lingua nobis plurima indicat. Linguae conditio nobis indicat:

1 Statum partium vicinarum, connexarumque, fauicium, tonsillarum, cavi narium, et totius membranae Schneiderianaee morbos lingua significat. Sic in quavis anginae specie, in corryza, in morbis non paucis gingivarum linguam videbitis affectam; qua autem ratione in singulis hisce morbis lingua affici soleat, penes lectos aegrorum videmus.

2 Lingua indicat statum primarum viarum, quemadmodum enim intestina affecta sunt, sic in morbis multis et ventriculus, sic et oesophagus, sic et ob nexum et partium continuitatem lingua ipsa. Crudus e. g. intestinorum et me-

senterii apparatus plerumque comitem habet etiam ventriculi saburram; haec autem glutine suo, aut sapore amaro, acido, austero, rancido, putrido afficiet oesophagum, atque demum linguam. Hinc statum primarum viarum lingua alba, mucosa, flava semper loquitur.

3 Ex lingua discernimus persaepe statum asperae arteriae, et conditionem pulmonum; hinc lingua alba, crustosa, sicca in inflammatio-ne membranae asperam arteriam investientis, si-ve in $\beta\sigma\alpha\gamma\chi\omega$ inflammatorio, item in peripneu-monia et pleuritide. Lingua hac ratione affec-tam Hippocrates peculiariter *peripneumonicam* ap-pellavit.

4 Ex lingua, ejusque colore statum om-nium humorum circulantium desumimus persaepe. Lingua concolor est attingentibus ipsum humo-ribus, quapropter per hanc humorem cognosci-mus. Ita Hippocrates libro 5. de morbis popu-latibus.

Observatio linguae tanti momenti est, ut medicus omnibus aliis signis diagnosticis longe facilius careret, hoc solo excepto. Consideramus autem in lingua 1 ejus colorem, album, flavum, nigrum, virescentem, livescentem, 2 ejus aspe-ritatem, 3 ejus motionem aut impotentiam, 4 tremorem; 5 teneritudinem, 6 ariditatem, 7 fissu-ras, ulcera, aut ulcuscula linguae. Vix in ulla re Hippocrates tam accuratus fuit, sicut in linguae diversarumque ejusdem affectionum descriptione. Quid ex quavis linguae affectione concludendum sit, suo loco videbimus.

Dentes quoque multa significant. Materies viscosa, et quidam quasi lento-re, significant juxta Hippocratem febrem fortem. Dentes male

affecti, arrosi, viscosa materie oblii, dentes non firmiter necti, foetor oris, pravam plerumque digestionem, primarum viarum morbos, et mala inde pendentia denotant.

His examinatis, ulterius progrediendum et inquirendum, num appetitus perstet, an dejectus sit; an nauseae, vomituritiones, cibi, et prae-primis carnium fastidium adsit; an peregrinus assumptorum sapor, aut forte nullus; an ructus putridi, nidorosi, acidi, austeri, amari, nauseoso dulces aegrum molestent. Audiamus quasdam circa appetitum observationes:

1 In omnibus morbis, si viget appetitus, bonum; semper timeo in aegris inappetentiam, ait *Baglivius*.

2 Si post curatos morbos inappetentia remaneat, recidivam praedicito.

3 Nulla alia bona signa me exhilarant, nisi conjuncta sint cum appetentia, ait idem ad eum ratissimus observator.

4 Bonus appetitus bonam viscerum naturam oeconomiam denotat, unde semper bene sperandum, pergit idem hic auctor.

5 Si quis diu inappetens manserit, in gravem morbum incidet.

6 Non facile promittas felicem eventum, praecipue in chronicis, nisi fundamentum habeas in bono appetitu.

Tandem pergendum est ad hypochondriorum examen, haec ut sana sint, debent esse mollia, indolentia, et aequalia ex utraque parte. In hypochondriis observatur *durities*, *tensio*, *inequalitas*, *dolor*, *pulsatio*, *introtractio*, et eorum *tumor sublimis*, sive *meteorismus*. Inde discimus statum primarum viarum, vel viscerum in hy-

Pochondriis sitorum, hepatis ac lienis. Exploranda sunt praecordia, regio scrobiculi, num dolor, pondus, tumor, tensio adsit, num augeantur haec incommoda ad attatum. Veteres in examine hypochondriorum adcuratissimi fuere, unde varios nobis aphorismos reliquerunt, ubi ex hypochondriorum conditione morbi ideam venari medicus potest.

Urina et alvus medico multa nonnunquam suppeditant, quae ad morbi cognitionem facere possunt. Non loquimur hic de illa multorum Pseudomedicorum arte, qua nullo alio signo adjuti omnia ex urinis divinari satagunt; haec enim dudum explosa stultitia est. Verum tamen manet, multa per urinas cognosci, si alia insuper signa in auxilium vocentur. Urina sanguinis statum indicat; qualis sanguis, talis et urina. In urina spectabimus *colorem, contentam, copiam, modumque*, quo mingitur. Color urinae ruber et nimium saturatus non semper inflammationis praesentiam denotat; nam si adsit primarum viarum cachochylia, et crudus apparatus, urina saepe admodum rubra, aut coloris profunde rubri esse solet. Mingitur quoque in cruda hac ventriculi ac intestinorum saburra lotii hujus nimium saturati exigua quantitas, subinde cum dolore stranguriosa, ita ut imperitiores ad diuretica exhibenda confugiant. Cavendum ergo, ne solo hoc intensiori rubore seductus medicus, de inflammatione cogitet, venasque imprudens secat, aut emollientibus antiphlogisticis obviam irritatur. Si enim cum urina rubra adsint signa primarum viarum affectarum, lingua mucosa, alba, flava, dentes viscosi, sapor amarus, aut quisque alienus in ore, si ructus nauseosi, ama-

ri, acidi, quin et dulces aegrum molestent, si vomituritiones, nauseae cibique fastidum, si pondus gravans ad ventriculum, si hypochondria tensa sint, inaequalia, si abdomen tumidulum, borborygmis molestum, si lumborum simul adsit dolor, alvus stricta, flatus, si his omnibus aut plerisque simul junctis, adsint praeterea noctu sudores nidorosi, foetentes etc. si urina tunc sit saturatiōri rubedine tincta, frequentiusque at parce mittatur, et subinde supprimatur, vel cum stranguria mittatur, solvere tunc oportet crudum viarum primarum apparatus medicamentis lepissimis, salinis, et deinde ea via, quae commodissima et brevissima videtur, eundem ejicere. Hoc in casu quam plurimi errant errore non indifferenti, qui omnem urinam rubram *inflammatoriam* esse putant. Venae sectio nequaquam indifferentis remedium est, quia latex vitalis per venae sectionem profunditur, ut adeo admodum circumspecti esse debeamus, si vel venae sectionem solummodo aut suadeamus, aut dissuadeamus; etsi fors non raro contingat, ut, ubi nescimus, quam in partem consulere debeamus, venae sectionem imperemus, levi admodum brachio, eaque animi levitate, ac si innocentissimos lapides cancerorum praescriberemus. Urina ergo intensius rubra, cum signis gravati systematis gastrici aut intestinorum juncta, vel emetico vel purgantibus per epicrasin propinatis emendatur. At vero, ubi urina rubra, cum fuscum linguaeve siccitate, siti, cute arida aestuante, pulsusque aucto deprehenditur, vitium erit in humorum phlogosi; hinc venae sectio et methodus antiphlogistica valebit.

Audiamus adhuc quasdam *Hippocratis de Pars. VI.*

urina sententias, quas suo loco in memoriam re-vocabimus.

1 Urina tenuis ac biliosa, ac vix tenuem, ac exiguum subsidentiam habens, quaeve modo in melius, modo in deterius mutatur, morbum longum fore indicat. Urina talis, qualis descripta est, saepissime observatur post febres autunnales non bene curatas. Sunt, qui per annos plures tales urinas excernunt, tenues, biliosas, cum subsidentia exigua. Re bene examinata comperies, eos intermittente laborasse, inde vero et incommodis ventriculi, et hypochondriorum conflictari.

2 Urina subrubram et levem subsidentiam habens, in pleuriticis securam judicationem significat. Vidimus exemplum pleuritidis ac urinæ specie judicatae.

3 Urinæ in peripneumonia crassae in initio, deinde attenuatae, letale.

Peracto aegri examine omnia in unum quasi collecta inter se combinentur, conferanturque, ut inde et morbi species, et judicium conveniens innotescat. Id adhuc notandum est, quod is maximum emolumentum, laborisque impensis praemium sit relatus, qui omnia, quae per aegroti ipsius narrationem, et ipso examine constiterunt, in chartam breviter, et succincte conjiciat, morbique progressum ac finem sedulo adnotet. Si enim plures, unius ejusdemque morbi historias collegerit, easdem inter se compara-reverit, canones praticos inde deducere, et aphorismos formare potest. Haec erant praemit-tenda circa methodum instituendæ anamnesis, et examiniṣ aegrorum.

MEDICINA

IN

CASIBUS INOPINATIS.



I. *Submersi.* 1. Non valide concutiendus est. 2. Non suspendendus ex pedibus. 3. Venaesectio in vena jugulari. 4. Inflare aerem, vel fumum nicotianae in pulmones ope follis, ore humano, fistula, et bronchotomia. 5. Inflare aerem simplicem, ope follis, fistularum tabaciarum. 6. Frictio, demtis vestibus madidis, et adpositis aliis siccis, et calefactis. 7. Situs capite modice elevato, seu, corpus sit in plano inclinato.

Moriuntur ob sufflamminatam pulmonum actionem; haec autem aboletur ob aquam in pulmones attractam, quae tamen ibidem non sub forma aquae, sed potius sub forma spumae deprehenditur; subinde tamen prorsus nihil est repertum in pulmonibus. Aqua in ventriculo aut nulla est aut saltem non nocet.

A sufflata pulmonum actione *apoplexia*; hinc primo *peripneumonia*, dein *apoplexia* fit.

Inflatio oris pededentim fiat, et cum levi thoracis alterna frictione.

Fumus nicotianae ore retentus, per fistulam et in anum, et in pulmones potest immitti.

Nihil infundi in os debet, antequam iterum possit deglutire.

Naribus spirituosa, item fumus nicotianae adhibendus.

Diu pergendum, etsi jam adsint vitae signa.

Corpus calefaciendum est calidis vestibus arena calefacta, sale, cineribus; non autem cubiculo calefacto.

Deglutienti infusum florum sambuci cum oximelle squillitico dandum, item leve infusum aromaticum.

Subinde vomitus in jam resuscitato prodest, et vitam vacillantem confirmat.

Jam resuscitati diversimode debent tractari pro diversa affectione: subinde venae sectio, subinde excitantia, subinde nervina indicantur.

Si sint et submersi, et frigore glaciali enecti, primo tractari debent ut *conglaciati*, de quibus postea, et dein ut *submersi*.

II. *Suspensi*. 1. Caute a fune liberandi. 2. Situs sit semierectus. 3. Vester arctiores laxandae. 4. V. S. jugularis. 5. Sanguine non fluente scarificatio ad nuchas, retro avres, ad tempora. 6. Facies aceo et aqua frigida consperranda. 7. Inflare aërem calidum in pulmones, et si id per os fieri nequeat, fiat bronchotomia. 7. Acria enemata. 8. Aër ope follis in anum inflatus. 9. Moderata frictio. 10. Naribus spiritus volatiles admovendi, si modo incipient vitae signa dare; item acetum calidum, jusculum cum pauxillo vini, infusa leviter aromatica. Tandem pro ratione symptomatum supervenientium curandi.

III. *Recens nati apparentur mortui*., 1) a funculo umbilicali, 2) ab ore uterino strangulati; 3) ob iniquum situm violenter versi; 4) forepe, vecte pressi; 5) muco faucium suffocati; 6) partus diuturnus.

Horum status est *apoplecticus*; sunt *sugillati*, *lividi*, maxillis spastice compressis, aut vice versa: meconium profunditur.

Omnia tentanda, si modo de vita paulo ante praesente constet.

Hinc 1 immissio in fauces digito mucus excipienda, fauces irritandae.

2 Alterna laevi thoracis et abdominis pressio cum frictione.

3 Funiculi abscissio, ut mutatio circuli incipiat.

4 Mitti sanguis debet ex funiculo abscisso, ad cochlear majus, vel duo, vel tria.

5 Sanguis ex funiculo deligando non est versus infantem urgendus.

6 Aeris calidi in *pulmones* inflatio, item in *anum*.

7 Saepe invertendus est infans, ut pronus ferme cubet, ut mucus excidat.

8 Plurimum prodest balneum calidum, subspirituosum, vinosum.

9 Spirituosa naribus.

10 Infusum leviter aromaticum cum oxymelle squillitico deglutiendum.

11 Frictio tunc in resuscitato spirituosa.

12 Frictio placentae pedum.

13 Suctio mammarum infantis.

At debiles, ob valetudinem matris praegressam, ob haemorrhagiam, omnia priora petunt, excepta sanguinis missione.

IV. *Infantes suffocati stragulis.* Mos nutricum.

1 Tunc venae sectio jugularis. 2 Inflatio aeris in *pulmones* et *anum*. 3 Pressio alterna abdominis et thoracis. 4 Omnia prius enarrata. 5 Oximel squilliticum cum infuso sambuci.

V Sufocati vaporibus carbonum, fermentantis vini, cerevisiae, hydromellis, aceti : tunc et Aeris puritas et libertas requiritur, aegri ause-rendi, aut portae aperienda. 2 Venae sectio, spiritus salis ammoniaci ad nares, ut faucium ac maxillae spasmus solvatur. 4 Inflare aerem, aut bronchotomia. 5 Faciem conspergere aqua, et acetō frigido. 6 Frictiones. 7 Scarificatio nuchae. 8 Inflare aerem aut fumum nicotianae in anum. 9 Acria enemata. 10 Interne spiritus salis ammoniaci dilutus, et analeptica.

VI. Si sint vapores putridi, nosocomiorum, cryptarum, cloacarum, puteorum, cellarum etc., tunc emendandi hi vapores exploso sclopeto, accenso sulphure, acetō accenso; tunc etiam prius nominata prosunt, et ipecacuanha, aut vitriolum album, item posca frigide pota, limonada.

Aegri ex cryptis extrahendi 1 Instrumentis. 2 Prius exploso sclopeto. 3 Ab homine, qui pannis acetō madidis, et ori obvolutus ingreditur.

Tamdiu non est tutum ejusmodi cryptas aut loca conclusa ingredi, quamdiu injectus ignis, aut ardens candela extinguitur.

Prodest quoque ejusmodi loca lustrare affuso lixivio ex aqua, cineribus, calce, sale communi parato; item fumo accensi acetī, accenso pulvere pyrio, accenso sulphure.

Quod si quis ingredi debeat locum vaporibus vini fermentantis plenum, is prius pannum ori obvolvat alcalino lixivio madidum, adjecto spiritu vitrioli dulci.

Nosocomiorum aër ingredientibus non nocet, si acetō accenso lustretur; idem illi obser-

vent, qui inter cadavera debent multum, et diu morari.

Vapores volatissimi rerum grate odorifera-
rum irritabiles homines saepe laedunt, inde lei-
pothymia et mors. Odor florum etc. Prodest
tunc 1 aer renovatus: 2 odor inopinatus alia-
rum rerum e. g. asae foetidae, accensae ungulae,
pilorum accensorum foetor, item plumarum, co-
rri, alii odor; camphora.

Vapores metallici multos suffocant; eadem
praesidia hic locum habent, que supra comme-
morata, ubi de periculo carbonum, vini fermentan-
tis dictum est; verum his auxiliis praemissis
promptum emeticum indicatur; ipecacuanha, vi-
triolum album; infusum nicotianae ano injectum.

Vapores plumbi enervat victus ex butyro,
et aliis pinguibus, vomitio, purgatio.

VII. *Venena.* Venenum subinde hauritur ex
improviso; arsenicum, mercurialia acriora, mer-
curius sublimatus corrosivus, viride aeris ex vasis
cupreis, cobaltum, smaltum, nux vomica, ci-
cuta aquatica, hyoscyamum, opium, aliaque
plura.

Ut determines, quid potissimum agere oportet
in veneno quoque etiam ignoto, (saepe
enim id ignoramus,) necessum est effectus mul-
tiplices assumpti veneni considerare. Vel enim
1 mox ab assumpto veneno adest vomitio, ar-
dor oris, faecium, oesophagi, ventriculi, abdo-
minis dirus, item dejectio cruenta; brevi tunc
singultus, sudor mortualis, et ipsa mors sequi
solet.

Si venenum assumptum praedita ratione
agere incipiat, tunc illico 1 copiosus potus mu-
cilaginosus sumatur ex jusculis carneis, lacte,

butyro, oleo; pluris haec sunt, quam simplex aqua. 2 Enemata oleosa, emollientia, fomenta tepida abdominis, et semicupia. 3 Cave cane pejus et angue ab emetico, nisi forte statim rescias, te venenum assumisse, ita ut emetico id possis excutere, priusquam illud acerrima, et rodente vi agere incipiat: verum tunc plumula, oleo, excitari debet 4 Subinde et venae sectio indicatur, indirecte quidem.

Venena vegetabilia facilius et tutius dato emetico excutiuntur, quam venena acria, rodentia, chemica.

In assumpto arsenico, mercurio corrosivo, aerugine aeris, potus sit lixiviosus, ex aqua communi et sapone veneto, vel et simplicius ex aqua et sale tartari, lixivium cinerum communium cum lacte.

Mercurius inunctus intempestive, et nimia dosi in lue, contra pediculos, scabiem, tormina gravia, vomitum, speciem dysenteriae etc. tunc potus lactei, tepidi, mucilagines, et balnea tepida.

Venena *narcotica* vegetabilia 1 requirunt venae sectionem, cum vim habeant apoplexiferant 2 Generosum emeticum. 3 Acida vegetabilia. Talia venena sunt opium, belladonna, hyosciamus, et multa alia. Mors est sicut in apoplexia sanguinea, pulsus fortis, plenus, tardus, respiratio lenta, difficilis, sopor etc.

Mallem mediante injectione, vel tubulo solutionem vitrioli albi in ventriculum demittere, vel eandem in anum iniicere, quam decoctum nicotianae, cum ipsum quoque sit narcoticum; acria alia praepangent.

Narcotica venena etiam nocent solo odore

suo viroso: si quis e. g. diu versetur aut dormiat in tali loco. Eadem medela est.

Venena alia quaedam in vias agunt urinarias e. g. cantharides, ardorem, mictum cruentum inducentia. Balnea; emulsa tepida; venae sectio.

Acida mineralia concentrata per errorem epota, enervantur potu multò aquoso, et mucilaginoso, item lixivioso.

Fungi, praecipue venenati, ovā putrida, carnes putridae comestae instar veneni agunt; tunc emesis sola prodest; et acida, e. g. posca, acetum.

Acus deglutita poscit pótus acidos, ut ea brevi obducatur rubigine, praecipue in apice; item, tremores, pultes; tremores et pultes vident etiam in deglutitis frustulis vitri; periculum esset evacuans.

In morsu canis rapidi: 1 ure locum demorsum, aut mutia salis communis illum ablue. 2 Totum membrum fove fomento oleoso. 3 Cura nervinā, moscho, camphora; 4 Vesicantibus largis; 5 mercurio, 6 specificis.

Veneni instar agit subinde frumentum recenter collectum, nec bene siccatum; otitur sensus formicationis in artibus, contracturæ, et convulsivae contractione digitorum, cum rigiditate immobili per oīnēm saepe vitam; convulsiones, mors. Messe finita inter rūsticos, eosque pauperiores hic morbus subinde observatur. Curatur 1 pane meliore, paratoque ex farina melioris frumenti; 2 emesi validiore, iterata, praemissis solventibus, resolventibus; 3 balneis; 4 camphora; 5 ferulaceis, amaris.

VIII. Aliud mortis genus est illorum, qui bolo intra oesophagum haerente incipiunt suffo-

cari. Moriuntur ideo, quod bolus haerens urgeat asperam arteriam antrorum, eaque ferme compressa spiritum intercludat, vel quod oesophagus irritatus ab haerente bolo in consensum simul trahat caput asperae arteriae, et rima glottidis aequa spastice contracta claudatur.

Fit in pueris voracibus, clanculum vorantibus, item si globulis ludant, eosque ore volunt; item si inter manducandum rideant, loquantur; si boli medicamentosi propincentur. Pisces pueris non dentur.

Cura fit per chirurgum, qui hamulo, forcipe, aut aliis instrumentis, haerentem bolum excipit vel detrudit.

At chirurgo non praesente alii rem adgredi debent; mediante *cereo tenuiori* detrudendum corpus haerens est in ventriculum.

Commestibilia corpora potius *detrudenda* sunt, quam *extrahenda*. At non commestibilia et simul ventriculo inimica in casu necessitatis tamen sunt detrudenda in ventriculum; aeger vero tractandus est tanquam is, cui venenum datum est.

Potus simul *lubricantes* dandi. Pulsandum dorsum est, ut haerens corpus in motum ducatur; carpento per strata viarum eoque rudi, vehendus est aeger motu pernici.

Si nil profeceris, et metus sit praesentis suffocationis, tunc 1 venae sectio larga; 2 emeticum promptum, solutio nempe tartari emetici, aut vitrioli albi, faucibus simul irritatis; 3 enema ex fumo nicotiana, aut ejus infuso. 4 Vomitus fuit factus infusione in ipsas venas emetica.

IX. Conglaciati (*Erfrorne*) saepe et prae aliis in vitam revocantur, et post complures

dies. Hoc ut obtineas, 1 cave, ne in locum calidum aegrum deportes, tunc enim gangraena et mors. Exemplum a pyris et pomis conglaciatis. Revocati diutius a loco calido abstineant. 2 Conciliari levior paulo frigoris gradus debet, quam is sit, qui hominem enecavit, atque ita, per gradus et sensim, pristinus calor concilietur; 3 hinc in cubiculum frigidum hominem deducas, ibique exutum involve nivibus, aut impone balneo frigido glaciali. 4 Lenes frictiones mediante nive, aqua glaciali. 5 Si in itinere id contingat, ubi sub tectum reduci aeger nequit, sub dio totum erit peragendum, et corpus tunc fricandum; 6 redeunte vita venae sectio, et antiphlogistica methodus indicatur; 7 universim postea ita tractandi, uti solent inflammati, uti in apoplexia sanguinea, aut vera pulmonum inflammatione. 8 Si solum pars corporis, auriculae, nasus, pedes, aut pedum digiti vim frigoris patientur; opus, 1 abstinere ab unguentis, emplastris; 2 fricare aqua frigida, nive; 3 subinde venae sectio.

Caveant itinerantes, rustici p̄aecipue, 1 a potu vini, spirituum ardantium; 2 a quiete oblassitudinem; 3 a somno capiendo; qui indormit, certo perit.

X. Fulmine tatti, mortem, si negligantur, apoplecticam obeunt, sugillationes patiuntur.

Eadem ratione in vitam revocandi sunt, ac suspensi, ac suffocati fumo carbonum etc. 1 Venae sectio jugularis; 2 inflatio aëris in pulmones, anum: 3 enemata nicotiana; 4 frictio; 5 tandem nervina, si revivixerint.

XI. Ex alto delapsis, et apparenter mortuis larga venae sectio jugularis, et reliqua prius no-

minata. Acetum sambuci cum ejusdem infuso; infusum florum arnicae, venae sectio.

XII. *Ébrii* subinde habentur tanquam apoplectici. Ebrietas summa in apoplexiā transit. Ejusmodi apoplexia curatur: 1 evacuatione systematis sanguiferi; 2 systematis gastrici, uti in assumpto veneno narcoticō; venae sectio, irritatio faucium ad vomitum, emeticum. Potus aquae simplicis cum absorbentibus. Cavendum tamen, ne medicus *Ébrium* pro apoplectico habeat, ne sese risui exponat.

XIII. *Ira* gravis, quam Poëta brevem fūrōrem nominavit, homines apoplecticos reddit. Tum 1 summa rarefactio, et 2 eorum impetus ad caput. Venae sectio; posca; deinde levis diarrhaea, aut vomitio prodest; os etiam amarit rescit.

XIV. *Terror* epilepticos, convulsos facit maxime infantes. Spiritus cornū cervi simplex et anisatus, frictiones, balnea tepida. Pessima est epilepsia a terrore.

XV. *Epilepticis* ferendum auxilium; aēr liber; cautela, ne laedantur in pavimento, ne lingua commordeant; robustis vero venae sectio. Digi non violenter exporrigendi, uti tamen mos est.

Q U A E D A M
AD MEDICINAM FORENSEM
PERTINENTIA.

Partus maturus.

Ad solvendas plures quaestiones, haereditatem ut plurimum concernentes, plurima erunt notanda, et sequentes quaestiones praemittendae sunt; scilicet:

1. Quinam termini sunt graviditatis, aut intra quantum temporis maturus partus fieri potest? Respondeo: intra 38vam septimanam usque ad 40mam.
2. Quando partus praematurus dicitur? Resp. Tunc, quando ante 38vam foetus excluditur, is tamen foetus status sit, ut, cura diligenti habita, vita ejus prolongari possit.
3. Causae partus praematuri multiplices quae? Respondeo: terror, animi pathema grave, haemorrhagiae, uteri preeprimis morbus tempore graviditatis; nariva imbecillitas; diuturnus fluor albus, et chlorosis; frequentiores et intempestivae venae sectiones; purgantia cebriora; emenagogia; plethora, febris, vis externa; vomitus multus violentus etc.
4. Quandonam abortus dicitur? Respondeo:

ubi vita, ut ut omni adhibita diligentia, non potest continuari ob nimis imperfectam pro vitae continuatione corporis evolutionem. Id sit ante septimum mensem. Hinc foetus septimestris est vitalis censendus, sive dein vitam actu protrahat, sive postmodum vivere desinat: sufficit foetum vivere posse. Hinc septimestris foetus, et magis adhuc octomestris fieri potest haereditatis capax; diceturque non *abortus*, sed partus praematurus. Hinc scitur, quid sit *partus vitalis et non vitalis*.

5. Quaeritur, quae sit distinctio quoad functiones et signa externa inter foetum maturo partu, et foetum praematufo partu exclusum?

Foetus matus ex sequentibus dignoscitur; scilicet: pondus maturi foetus est a libris VI. ad IX., pro ratione magnitudinis parentum, vel ipsius nationis. Infantes recens nati, populorum maxime septentrionalium, minus ponderant, et statura multo sunt minores, quam nostris in terris; apud nos enim longitudo recens nati et maturi infantis est a 15 pollicibus ad 21; infra 14 pollicem apud nos foetus est immaturus.

Color corporis maturi infantis est dilute rubevens; corpus infantis immaturi intense rubet, cum livore; plantae pedum praecipue, et volae manuum purpurascunt.

Infans immaturus pilos habet, et in genis et per dorsum multo plures et maiores, quam matus.

Infans matus corpore est pinguiculo, pulchro, et ad attactum solidiusculo; immaturus infans macilentus est, rugosus, et senili facie; membra attenuata, macra, aures diaphanae, et lingua praeerubra.

Infans praeterea immaturus, et masculus, testiculos habet, vel in abdomen adhuc reconditos, vel haerentes in inguine; maturus vero in seroto, rarius in abdomen aut inguinibus.

Ungues infantis maturi sunt duriores, minus flexibiles, praelongi, et rubentes; immaturis infantis unguis breves sunt, vix lineam longi, extreum articulum non penitus degunt, pururascent.

Fontanella minus ampla in maturo infante, ampla valde in immaturis. Capilli capitis in mortuo sunt crassi, et obscuri coloris; in immaturo vero molles, teneri, albi, ad instar cannabis.

Maturus infans oculos statim attollit, circumfert; vox elata, et vagitus fortes; mammae apprehendit. Immaturus autem oculos ferme semper clausos habet, dormit perpetuo ferme. Valde immaturi habent adhuc pelliculam illam *Wachendorfianam* dictam, quae pupillam claudit; nullum, nisi perobscurum vagitum edit; extrema frigent ob vim vitae admodum debilem; nec minimum frigidioris aëris contactum impune fert; hinc ejusmodi foetus immaturi multo calore foveri debent.

Diversi perfectionis aut imperfectionis gradus sunt. Interim ii solum possunt juxta observationes vitam continuare, quibus duo tantum menses ad perfectam maturitatem desunt. Hinc vitalitas incipit mense septimo finito, aut prope finito; hinc etiam hic incipiunt esse haereditatum capaces, et verum *infanticidium* primum fit in foetu septimestri excluso, non autem in per abortum non procuratum excluso.

Ludwigius vitalem etiam pronuntiat eum, qui initio septimi mensis natus est.

6. Quomodo scitur foetum exclusum fuisse septimestrem, casu, quo is post partum fuisse mortuus, et de haereditatis capacitate quae reretur?

R. Vitalis foetus respirationis effectus prodit: 1 Aliquo vagitu; 2 Suctione papillae. 3 Assumptione fluidi oblati. Ex temporis computo vix certi quid potest definiri.

7. Partus serotinus, quoisque extenditur? Leges viduis hac in re favent; senioris partus exempla prostant; leguntur exempla tridecimetrarum foetus. Consuetudo varia; ad 11mum, 12mum, quin et 13mum mensem subiude prorogatur. Id que variat in diversis regionibus.

8. Quaestiones juridicae hae sunt: 1 An foetus exclusus maturus sit, nec ne? Signa diagnostica supra dedi; 2 Si immaturus, an tamen vitalis censendus sit, id est capax vitae continuandae, sive continuaverit dein, sive non, id est, an capax sit haereditatis? quaestio ex supra dictis solvit; 3 an foetus sit imo post patris mortem mense exclusus sit filius defuncti legitimus? 4 an foetus exclusus ante tempus, et dein occisus per matrem, eam fecerit infanticidam.

Sed et de foetu maturo quaestio juridica multiplex moveri potest; 1 an foetus vivat actu, ob exiguum vitae scintillam? dubitatio haec movetur ob baptismum; 2 An, si non vivat actu, tamen antea vixerit? etiam id scire opus est saepe; signa afferemus alibi, unde desumi debet, adfuisse vitam.

Verumtamen non tantum de vita foetus quaeritur, sed etiam de ejus sexu; secundum longi-

longitudinem quasi distenta urethra virilis vulvam mentitur, et prominens clitoris penem.

An monstrosus foetus baptisari debet? an monstrosus foetus jure bene formati hominis gaudet?

Abortus procuratus.

His perpensis gradum faciemus ad aliud medicinae forensis caput; agemus de vario homicidio, et vis illatae aestimatione. Exordium fiat a specie quadam homicidii, cum gravida foetum adhuc immaturum quacunque ratione occidit, procurando abortum.

Abortum diximus, immaturi foetus, qui vitam continuare ob defectum sufficientis evolutionis non potest, exclusionem.

Abortus saepe absque matris culpa fit; subinde vero studio procuratur, tuncque res ad judicem defertur. Multae hodiecum matres sunt, apud quas abortus procuratio impunis esse solet, atque multum usitata.

Ultimis reipublicae romanae temporibus, et magis adhuc sub primis Romanorum imperatoribus, vigente paganismo, matronae abortum solebant procurare, ne incommoda diuturnioris graviditatis, partus, et educationis subire cogantur.

Abortum procurat vel ipsa gravida, vel alius quis, qui abortiendi ansam suppeditat.

Duplex modus est occidendi foetum immaturum; scilicet i si quis, vel quaedam foetum in utero adhuc conclusum enecet; eritque propriæ *aborticidium*; foetus in utero mortuus brevi excluditur: rarissima exempla sunt foetuum mor-

tuorum per multos adhuc annos in utero gestatorum , tandemque excretorum . Vel 2 si quis vel quaedam foetum data opera ante tempus vivum ex utero , tanquam ex suo domicilio exturbet , ubi , etiamsi per aliquot momenta vivat , vel et per horam , ac ultia , tamen necessario peribit .

Videamus primum modum occidendi foetum in utero ipso materno . Notum erat vel ipsis antiquis instrumentum , quod embryosphaeten appellabant : quasi diceres *Embryonum occisorem* , cuius ope , nefandum certe , et execrabile scelus , innocentulum infantem occiderunt , cum id intra ipsum uterum adigerent . Brendel in *Eph. N. C.* de ancilla narrat , que acutum stylum ferreum intra uterum immisit , et foetum seque ipsam , cum uterum laederet , occidit . Schurius narrat , infantem in utero matris existentem fulmine fuisse occisum , illaesa matre . Quid , si nefasta manus fulmine artificiali uteretur , igne videlicet electrico , cuius ictus matrem haud laederet , at tamen infantem enecaret ?

Vis externa illata , compressio , laedere foetum , quin et occidere potest .

Fors medicamenta , aut quaedam venena dari possunt , quae matri non , aut perparum , attamen foeti nocent , eumque occidunt ; illa praecipue venena , quae reliquis intactis , sanguinem petunt illico .

Foetum , saltem indirecte , occidit nutritio subducta infantis , quod fit : 1 multis venaec sectionibus ; 2 lactando nimis diu ; 3 inedia ; 4 salivatione .

Nosse quoque juvat nefandas methodos abortum procurandi , ut , si id contigerit , de eodem aptius decidamus .

Abortum ergo procurat lapsus, ictus, verbera ad abdomen, lumbos, dorsum etc. vomitus drasticis concitatus; sternutatio frequentissima, et violenta, qualem facere solet euphorbium; risus, tussis, clamor, saltus, vis electrica; ponderum elevatio, stranguria, tenesmus, alvus dura; arcti thoraculi, emenagoga, (antalia dantur)? Abortum faciunt ea omnia, quae sanguinem copiosius invitant ad uterum, ejusque vasa relaxant e. g. semicupia, clysmata emollientia, et injectiones tepidae.

Ancillae rusticae venam in pede secant, ut sanguinem ad uterus invitent; dubitatur de hac specie derivationis. Compressio arteriarum cruralium, ut sic minus sanguinis feratur ad extemos pedes, et plus ad vasa uteri vicina, quam methodum menstrua restituendi *Hamilton* in observationibus Edinburgensium descriptis. Equitatio multum sanguinis ad partes genitales derivat. Irritatio quaevis uteri, aut partium utero vicinarum, frictio scilicet pudendorum, irritatio osculi uterini, frictio abdominis; drasticum purgans ex aloë, resina jalappae, colocynthide, scammoneo. Item diuretica, maxime canthrides. Frigus; pessi acres, quos ad expellendas secundinas *Hippocrates* suasit. Coitus frequentior tempore graviditatis, teste *Manningham*, abortum saepe facit. Vigiliae, irae, terror; hysteria.

Tempus, quo facilime abortus prae alio quoconque tempore procurari potest, est, teste *Haller*, circa tertium mensem, ubi bis jam legitima menstrui sanguinis excretio cessavit.

Contingit, ut persona quaedam judici deferatur, vel, quod ipsa abortum procurarit sibi ipsi, vel alteri vim intulerit, aut remedia abo-

viva propinarit; hinc variae quaestiones nascuntur:

1ma est, an re ipsa persona accusata foetum immaturum ediderit, nec ne; an scilicet non fuerit mola.

2da, si abortiverit haec persona, an abortus hic sequebatur ex actibus studiose positis, vel vero ex causis involuntariis, et inevitabilibus,

3ta, quod si constet, causas abortus ab ipsa gravida studiose positas esse, quaeritur, an eae causae fuerint tales, ut *necessario* post se abortum traxerint.

4ta, si certae actiones abortum caussarunt, an grida has actiones posuit ex ignorantia, inadvertentia, casu fortuito, vel vero animo malo, et abortum procurare studiose volente?

5ta, an eo tempore, quo grida sibi abortum conciverat, an, inquam, eo tempore foetus jam erat animatus? Hae sunt quaestiones, ad quas singillatim respondebimus.

Ad 1mam quaestionem, an re ipsa persona abortiverit, respondeo: 1 probari abortum ex ipso corpore delicti, sive foetu excreto; 2 ex signis graviditatis aliunde petendis, quae antea adfuisse constat, nunc vero desunt; 3 ex doloribus partus, qui etiam in abortientibus iidem sunt. Cave ne suppressa menstrua, et abdomen inde tumidum, ortum demum sanguinis ex ute-ro profluvium, et mola exclusa abortum mentiatur. Signa graviditatis alibi dabimus.

Ad 2dam quaestionem, an abortus sit effectus pravarum artium, an vero effectus caussarum inevitabilium, respondeo: id determinari ex aspectu foetus abortivi vix, aut nunquam posse,

nisi forte vi valida, et percussione in gravidae abdomen facta, vestigium quoque in foetu deprehendatur, aut nisi gravida ipsa, ope instrumenti, in proprium foetum saevierit. Reliqui modi abortum procurandi nulla in ipso foetus corpore laesionis vestigia relinquunt. Interim magna probabilitas abortus procurati studio dataque opera nascitur ex sequentibus.

1. Si persona accusata signa graviditatis antea habuit, quae ipsa occultare conabatur.

2 Si hinc inde conquisiverit methodos varias abortum procurandi.

3 Si insolitos quosdam, gravesque peregerit labores, quos antea renuebat, uti, si gravia onera gestavit; saltus; equitatio.

4 Si absque sufficiente ratione, medico non consulto, venam sibi secuerit, idque maxime in pede.

5 Si intempestive a chirurgis, apothecariis, saepius fortia, emmenagoga petierit.

6 Si ejusdem remediis fuerit clam usa.

7 Si emetica valida, et purgantia saepius absque sufficiente ratione assumpserat, et non consulto medico.

Ad 3tiam quaestionem, an nempe abortus ex hac vel illa causa necessario debuerit sequi, respondeo: nullam esse causam, qua posita necessario debeat abortus sequi, nisi si ipsam, mediante stylo ferreo, in utero occisionem excipias.

Sed et 4ta quaestio difficillime solvit, an nempe gravida causas has abortivas posuerit studio, et intentione directa foetum occidendi, vel an ex inadvertentia; haec disquisitio magis ad judicem pertinet.

Ultima queestio medicum maxime concernit, an nempe foetus eo tempore, quo mater abortum tentabat, vixerit? Determinatio poenae inde dependet, cum, si foetus nondum vixerit, procuratus foetus mortui abortus poena careat; praeterea, si foetus antea vivens, nunc in utero matris moriatur, abortus postmodum procuratus pariter imputari matri nequit.

Cum Philosophi peripatetici recentiores statuerint, foetum non omni graviditatis tempore animatum esse, sed animum in ipsum serius transfundи, statutum in jure criminali Caesaris Caroli V., ut capit is poena plectatur, qui, vel quae, postquam foetus jam fuerit animatus, eundem abortu procurando abegerit; secus vero et mitius agatur cum ea, quae foetum expulerit nondum animatum. Quid ergo de tempore, quo animari foetus debet, statuendum? Respondeo: foetum a primo conceptionis momento vita gaudere, hinc quocunque graviditatis tempore verum re ipsa homicidium fieri. Interim, cum haec foetus vita nullis signis externis prodatur, nisi post 16. septimanam, aut circa 20mam, ubi tener foetus motus musculares exerceat, matris perceptibiles, constabit tunc *certo* et luculententer foetum abortus tempore vixisse. Sed unde aut medicus, aut judex sciet, foetum jam edidisse motus? an sufficiet abortientis confessio, cum spasmi, tortina, flatus toties feminis imponat pro motu foetus in utero? Respondeo: solam abortientis confessionem utique non sufficere; inspici foetum ipsum abortu exclusum debere; si enim is sit expers putredinis, si et pondus, et longitudinem habeat, quam plerumque mease graviditatis quinto in foetu deprehendit.

dimus, si forte exclusus foetus jam respirationem unam alteramve peregisset, ut pulmo aquae jam innatare deprehendatur, foetum abortus tempore vere vixisse, et aborticidium fuisse commissum, statuendum foret. An non sufficit progressus graviditatis ad demonstrandam vitam foetus, etsi nulli adhuc motus sentiantur? Respondeo: non; quia paulo ante abortum procuratum foetus potest esse mortuus.

Ex his rationibus persona quaedam, quae vel sibi, vel alteri abortum procuravit infra 20mam septimanam, a poena capitis absolvitur; quae vero post dimidium graviditatis tempus studio sibi abortum concivit, si modo de foetus vita ante abortum sufficienter constet, capitum supplicium incurrit.

An nullo in casu promovere abortum licet? quid si haemorrhagia adsit ex soluta alicubi placenta, an obstetricanti procurare abortum non licet? Respondeo: non licet abortum procurare, sed abortum imminentem, et incipientem, servandae matris gratia, licebit accelerare.

Infanticidium.

Hucusque de aborticidio, nunc de infanticidio. Ut justa in infanticidam inquisitio fiat, inquirendum est:

1 In graviditatem, ejusque signa, an persona accusata re ipsa fuerit gravida?

2 Inquirendum est, an persona accusata eos characteres exhibeat, quibus puerperae dignoscuntur?

3 Inquirendum est in ipsum corpus delicti, sive infantem occisum.

Quod ipsum infantem mortuum concernit,
 Quaeritur: 1 An morte violenta obierit? 2 Quod-
 si morte violenta obierit, qua *mortis specie* obie-
 rit? 3 An mors infantis hujus necessario actioni
 cuidam puerperae debetur, an vero etiam sequi
 per se, et ex causis inevitabilibus potuisset? 4 Et si infans absque illata vi fuerit mortuus,
 quaeritur, an adhibita diligentia non potuisset
 a morte praeservari?

Ad solvendam primam quaestionem, an
 scilicet infans fuerit mortuus violenta morte,
 inquirendum est in signa laesiorum. Interim non
 omnia laesiorum signa, uti sunt vulnera, ictus,
 rupturae, contusiones, violentam mortem indi-
 cant; quippe si vulnus ictusque absque sugilla-
 tione sit, et absque inflammatione, laesio non
 vivo foetui, sed jam antea mortuo erat illata.
 Hoc discrimen inter vulnera homini viventi ad-
 huc aut jam mortuo inflictum, *Paraetus* et *Zachias*
 dudum observarunt.

Sed ponamus, ex ipso laesiorum externo
 habitu constare, viventi foetui illatam vim esse,
 tamen alia nascitur quaestio, an scilicet ante,
 vel in, vel post partum vis haec et mors vio-
 lenta fuerit illata?

Ante partum vulnera capitis praecipue in-
 fligi possunt, praxi illa execranda, quae stylum
 ferreum intra uterum in calvariam foetus adigit.
 Quod si ossa quaedam fracta in foetu deprehen-
 dantur, quaeritur, an in ipso utero existens
 foetus hanc vim potuerit experiri, quod credi-
 bile non est, cum membranis conclusus et aquae
 innatans foetus ejusmodi injuriam haud facile pa-
 tiatur; an haec fractura ab imaginatione matris,
 aut a prava conformatione proveniat? Verum

matgines fractorum ossium, et recentes sanguinis suffusiones demonstrabunt, potius esse ab illata vi, quam a prava conformatione, aut laesa matris imaginatione.

Sed et sub ipso partu multiplici vi illata perire foetus potest, e. g. strangulatione, quae fit: 1 spastice contracto uteri orificio; 2 Funiculo umbilicali; 3 Fune aut manu nefanda illata. Quomodo singula mortis species dignoscitur? Uteri orificium et funiculus cutem non laedit, laedit autem plerumque funis, aut manus; manus praeterea inaequales facit, latasque sugillationes. 4 Pressione in fontanellam; verum intropressio fontanellae fractura unius alteriusve ossis capitis caussari potest a pelvi nimis arcta, irregulari, ubi caput valide ad ossa pelvis apprimitur. Cave, sugillationes capitis in foetu habeas pro signis illatae violentiae, uti Roederer prudenter monet. 5 Avulsum caput vim illatam ostendit semper, etsi subinde contingat absque prava intentione. 6 Mori sub ipso partu potest infans ob nimiam sanguinis jacturam, sive ea per infortunium contigerit, sive vero studio. dataque opera. Per infortunium contingit ob praevie avulsam placentam, ob abruptum funiculum umbilicalem. An studio abruptus funiculus fuerit, vel id ob partus difficultatem contigerit, major aut minor pariendi difficultas ostendet. 7 Ob inspiratum amnii liquorem sub ipso partu suffocatio oriri potest. Quomodo in suffocatione in aquis post partum facta, dignosces suffocationem ab amnii liquore? Liquor saepenumero in bronchiis submersorum reperitur; liquor amnii igne coagulatur, aqua autem non. Ex hucusque ergo dictis colligi debet, an infans sub ipso partu perierit violenter, nec ne.

Post partum infans varia quoque ratione occiditur. Ut mors, infanti post partum primum illata, monstretur, constare antea debet, an infans revera vixerit jam extra uterum matris. Id desumimus maximam partem ex statu pulmonum longe alio post partum, quam fuerit ante partum. Etenim respiratio, quae mox post partum initium sumit, pulmones explicat, levioresque reddit, atque, ut aquae innatent, capaces, quales non sunt ante partum. Legimus quidem in Schurigii *Embryologia*, infantes in utero matris vagitum edisse, quod utique absque respirationis negotio fieri haud posset; neque adeo sub ipso partu ob compressum thoracem respirabit. Hinc sequentia signa satis certo probant, infantes extra uterum vixisse, scilicet: si pulmo totus una cum corde in aqua multa pura natet. Pulmo ante aërem inspiratum gravis est, et fundum petit, post partum vero ob aërem contentum natat. Primo pulmo cum corde aquae injicitur; secundo pulmo solus; deinde variae pulmonum particulae. Quodsi pulmones aquae innatent, indubitate sequitur, aërem inibi contentum esse; jam per asperam arteriam immisus est, vel *evolutus* per putredinem.

Si nulla putredo subsit, et tamen aér insit, tunc vel ipse foetus vivens illum inspirando habuit, vel alius quis adstantium flatu eum vel in pulmones immisit, quod saepe fieri solet, ut debiles infantes, aut quorum vita dubia est, immisso aëre resuscitentur. Quod si itaque laesio, vulnus, sugillatio deprehendatur in foetu, cuius pulmones *ex toto* natant, statui debet: foetum vixisse, et viventi foetui eam laesionem esse inflictam; interim tamen aér poterat fuisse studio

immissus. Negavit Roederer posse pulmones inflari, ut postea natent; affirmat Bohn, Teichmayr, Morgagni; et Camper peculiaria hac super re experimenta instituit.

Negat Eschenbach posse fieri; ut infanticida studio aërem inspiret in pulmones foetus; verum, an non fieri potest, ut puella clanculum pariens id faciat, etsi dein tanquam infanticida accusetur?

Dictum est, pulmones posse natare ob aërem putredine evolutum. An haec ratio subsit, oportet videre, an signa putredinis sint etiam in reliquo corpore. Pulmo putridus natabit quidem, sed levi facta compressione subsdebit sanus. Pulmo non putridus infantis, qui jam vixit, etsi comprimatur, et facta compressione aquae immittatur, nihilominus natabit.

Pulmonum subsidentia juxta multos probat, infantem neutiquam vixisse extra uterum matris; verum certum non est. Etenim si respiratio fuerit debilissima, si aspera arteria, bronchiorum vesiculae fuerint muco multo repletae aut tuberculis obsessae, pulmones infantis antea vivi subsidebunt. Novimus morbum dari sub nomine peripneumoniae pituitosae aut infantilis notum, ubi pulmones multa pituita graves subsident; pulmones inflammati subsident, pulmones variolantium subsident; etiam in recens natis infantibus, juxta observationes Wrisbergianas et Morgagnianas, pulmones possunt esse scirrhosi.

Hinc singulae pulmonum particulae examinari debent, cum non omnes omnino partes soleant esse aqua graviores.

Quomodo dignoscantur pulmones suffocati infantis, a pulmonibus nondum viventis, vide l.

ii. epist. XIX. art. 46. *Morgagni de sed. et caus. mort.*

Praeter probam pulmonum in aqua, sequentia adhuc docebunt, an infans vixerit.

1 Pulmones, quorum ope respiratio facta jam est, sunt pallide rubentes; obscure et profunde rubent ante inspirationem.

2 Attactus et densitas pulmonum ipsa contractatione exploratur.

3 Pulmones, qui respirarunt, fere totum pericardium obtegunt; secus pulmones ante partum; grave signum.

4 Collapsa et subsidens fontanella, absque signis laesioris externae, notat foetum non prodivisse vivum.

5 Defectus tumoris illius, quem vertex capitum efformare in partu solet.

6 Defectus ullius sugillationis; cum sugillatione, sanguinis intra telam cellulosam effusio, solum in vivo foetu locum habeat,

7 Major accedit probabilitas, si constituit, quod mater graviditatem difficultem fuerit passa.

Hucusque consideravimus, quam varia ratione foetus mori possit ex vi illata, ubi vis ejus illatae signa in corpore foetus comparent; demonstratum est, quantum doceat conspectus ejusmodi laesiorum externalium.

Verum alii modi, quibus recens nati infantes ex vi illata mori solent, ubi nulla, aut vix illa ullius laesioris externae signa conspicuntur. Quaedam ejusmodi mortis genera recensebo. Sic frequens fit infanticidium, ubi admota manu respiratio prohibetur; ubi pannis obvolutus infans, aut intra lecti stragula absconditus, suffocatur,

suffocati in aqua, cineribus, cloaca subinde reperiuntur. Execranda exempla habentur foetuum occisorum acu intra calvaream adacta, per aures, nares, fontanellam, tempora, intra thecam vertebrarum colli, dorsi; fuere qui longa acu intra anum immissa infantem occiderunt, ubi nulla externae laesioris signa primo obtutu advertebantur. Hinc adparet, quam adcurata omnium rerum perquisitione opus sit, si medico corpus ejusmodi occisi foetus examinandum committatur.

Alius non infrequens casus occurrit, ubi foetus obiisse dicitur, quod in ipso clandestino partu vel in terram decidisse, atque ex illo lapsu periisse dicatur, ex eo, quod partus cito, atque ex improviso absolveretur. Possibilitas negari hujus casus utique nequit, nihilque inde contra puerperam concludi potest, si umbilicus praecipue ita sit constitutus, ut appareat, eum potius esse abruptum, quam aut cultro, aut forcipe absectum.

Praeter hucusque memorata mortis genera, aliis praeterea modus reperitur, quo infans recens natus perire solet, si videlicet umbilicalis funiculi deligatio negligitur. Plures exstant variorum dissertationes, ubi in utramque partem acriter disputatur, ita ut summe necessaria a plerisque ejus deligatio habeatur, ab aliis vero contrarium asseratur. Exstat *Schulzii* dissertatione *Halae* ad annum 1733 edita, de non necessaria umbilici deligatione in recens natis; item *Schael* in eandem sententiam scripsit *Goettingae* 1755. Afferuntur exempla animalium brutorum, funiculum foetuum suorum non ligantium, foetuum etiam humanorum, qui ob non ligatum ventri-

culum tamen non perierunt; quin possemus et nos exemplum afferre vitae nihilominus continuatae, etsi umbilici deligatio fuerit neglecta, cum viderimus praeterita hyeme foeminam ante nosocomii portam in curru parientem, quae suis ipsa manibus infantem recens natum, funiculo umbilicali non deligato, in collegium practicum deportavit viventem vegetumque, atque absque omni sanguinis profluvio. Afferunt etiam exemplum *Roedereri*, qui catellis recens natis funiculum penes umbilicum ipsum forcipe abscidit, nulla secuta haemorrhagia, et viventibus catellis. In medium quoque multa alia ex anatomia atque ex physiologia deprompta afferunt, ad stabiliendam hanc de non necessario ligando funiculo umbilicali sententiam.

Verum animalium brutorum exempla nil docent, solent enim illa funiculum diu commordere, contundere, et loco remoto tandem dentibus contritum funiculum dividere; ea consutio facile vices ligaturae subit.

Exempla allata vitae nihilominus perdurantis, etsi funiculi deligatio fuerit neglecta, rariora sunt, quam ut omnis neglecta deligatio possit innoxia esse, cum e contrario constet per innumeras observationes, fere semper mortem ex hoc neglectu sequi; quin imo funiculus umbilicalis in uno tantum loco ligatus, aut non probe, non satis valide constrictus, ansam haemorrhagiae praebuit letalis. Plura exstant exempla mortuorum infantum per id, quod deligatio funiculi post aliquot horas, quin etiam fuerit suapte relaxata sponte, cum letali sanguinis profluvio. Hinc etiam est, quare artis obstetriciae scriptores in peculiari plerumque capite doceant,

duplici in loco, atque valide utrobique funiculum ligare. Interim tamen saepe ignorantia fere invincibilis accusatae personae patrocinatur; etenim puella grida, partus doloribus, quos prima vice experitur, oppressa, ob metum, ne prodatur, et pudorem, omnis sani consilii inops, ignara, quam curam recens natus requirat infans, mille animi pathematis in transversum acta, de umbilici deligatione aut prorsus non cogitat, aut illam etiam, utpote primipara, penitus ignorat. Haud facile femina reperitur, quae utut jam saepius ex thoro legitimo pererit, quae illo temporis momento eam animi praesentiam habeat, ut de ligando umbilicali funiculo cogitet.

Sed ad aliam modo quaestionem devenimus, qua ratione ex infantis, ob non ligatum funiculum pereuntis, conspectu, et examine, determinare mortis speciem possimus, si infanticida forte mortui foetus funiculum, emissio primum sanguine, ligaret. Examinandae tunc sunt venae majores, cava, pulmones, ventriculi dextri cordis auricula; vasorum autem arteriosorum inanitione nil docet.

Pereunt praeterea infantes: 1 Si una cum membranis, iisque conclusus nascatur; 2 Si una cum secundinis et placenta nascatur, et funiculus non solvatur; 3 Si aër non immittatur flatu in debilis infantis pulmones.

Vita tenuis non debet confundi cum effectibus irritabilitatis residuis. *Mauriceau* narrat historiam infantis, qui, cum aqua nimis frigida baptizaretur, periit.

Homicidium.

Contingit, ut determinare medicus debeat, an vera adsit mors, nec ne. Casum ante paucos dies habuimus. Evenit id in fulmine tactis, in hystericis etc. Hinc signa verae mortis recensemus, deinde accedamus ad explicandam notionem letalitatis. Signa mortis vera sunt:

1 Mortuus non respirat; pulsus cordis et arteriarum deest. Respiratio an adsit, appareat *imo*, ex motu thoracis alterno; 2do, vitro aquae pleno ad pectus posito; 3 speculo, flammula, plumula admotis ori; verum speculum obnubilari etiam solet a cadavere adhuc calente. Pulsus etiam deficit in corde in hystericis una cum respiratione, in syncope, asphyxia etc. In quibusdam animalibus, ranis, et hirudine, per totam hyemem pulsus non observatur. Habentur exempla hominum, qui pro mortuis habebantur, et revixerunt. *Plinius* narrat consulem *Aviolarum* rogo jam impositum vitae signa deisse, attamen conservari haud potuisse, eo quod non satis cito flammis eripi potuerit. In collectionibus Hamburgensibus (Hamburgischen Magazin) Tomo 19, si modo plenam ea res fidem mereatur, narratur, infantem pro mortuo habitum, sepultum, et post 28 dies vivum repertum esse, fuisse baptizatum, et per 5 horas supervixisse.

2 Secundum mortis signum est, si motus voluntarii cessant; quidquid narratur de mortuorum in sepulchro editis vocibus, ad fabulas pertinet; et tota illa narratio ante aliquot annos per omnem Europam propagata de Vampiriis,
sive

sive de mortuis sepulchra relinquentibus , et alios
trucidantibus , merissima fabula est .

3 Sensatio omnis perit . In casu dubio na-
ribus spirituosa , spiritus cornu cervi , aut spi-
ritus salis ammoniaci admovetur , auribus alta
voce inclamatur , vellicantur carnes acubus , et
viva flamma .

4 Mortui ordinarie frigent toto corpore .
Hoc signum neutquam sufficit , cum corpora
mortuorum quorundam ob citam putredinem ca-
leant ; alii vero vivi totum corpus ad attatum
frigidissimum habere possint .

5 Rigor sic dictus emortualis mortis signum
est . Rigor observatur etiam in viventibus e. g.
tetano correptis , et multi mortui , praecipue ex
motbis malignis , omnino non rigent .

6 Oculorum mutatio . Splendorem oculi
amittunt . Humor aqueus diffatur , hinc cornea
collabitur , opaca fit ; inter omnia verae mortis
signa hoc omnium erit securissimum .

7 Foetor cadaverosus non in omnibus ob-
servatur ; mira saepe , sed naturalis proprietas
corporis est ; dependet item a mortis genere .
Fulmine tacti saepe diu non foetent . Ante aliquot annos disceptabatur , an absentia ejus foetoris , et membrorum flacciditas per aliquot post
mortem dies observata viribus naturae debeatur ,
an miraculo ? Ad determinandam ergo veram
mortem omnia signa enarrata et collectim adesse
debet .

Saepe mors sequitur post illatam vim exter-
nam , vulnus , contusionem , fracturam etc. , ubi
judices dubitant , an mors secuta huic vel illi
injuriae debeatur . Male *Faselius* eam causam le-
talem appellat , quam mors subsequitur . Contin-

gere etiam potest, ut aliquis post illatam vim externam moriatur ex causa quadam alia, quia ea illata vis mortem causavit.

Causae mortem inferentes sunt vel tales, ut necessario humanae compagis dissolutionem post se trahant, quidquid auxiliū adhibetur. Causa talis, mortem necessario sub quacunque conditione inferens, dicitur *absolute letalis*.

Aliae caussae ita saepe sunt constitutae, ut licet mortem inferre possint, tamen, praecipue, si remedia apta adhibeantur, eandem non inferant. Erit ea letalitas non *absoluta*, sed *accidentalis*.

Caussae *absolute letales* dividuntur denuo in caussas *universaliter absolute letales*, quae scilicet in omni homine, et omni tempore, vitae jactura inimpedibilem faciunt; et in caussas *individualiter absolute letales*.

Laesiones igitur *absolute universaliter letales* illae sunt, quae organa vitae continuandae necessaria penitus destruunt, omni tempore, omni loco, quin remedii ulla superesse spes possit.

Laesiones *individualiter absolute letales* aequo certo non impediendam vitae jacturam afferunt, sed in certis tantum individuis, sub certis conditionibus positis. Ponam exempla laesionum *absolute et individualiter letaliū*; scilicet:

1 Si perversus sit viscerum situs; ita, ut cor dextrum thoracem, et hepar latus sinistrum occupet. Vulnus dextri thoracis cor laedet laesione *absolute letali*, sed quae laesio in hoc tantum individuo perversum situm viscerum habente, sive *individualiter letalis* est.

2 Si ventriculus admodum profunde situs sit, ita, ut regionem umbilicalem occupet.

3 Splen anterius spectans, non reconditus
in hypochondrio sinistro, ut alias solet.

4 Calvaria hominis lue syphilitica laboran-
tis, cuius omnia fere ossa molliora, friabiliora,
laesionibus externis magis obnoxia sunt; calva-
ria carie hinc inde arose.

5 Herniae, anevrismata, varices, vomicae
latentes in thorace, abdomine; phthisis, aliquae
morbi chronicæ.

6 Sanguis labe scorbutica, scabiosa, syphy-
litica, cancrosa contaminatus.

7 Caecitate, paralysi impeditus gressus;
aetas ut nimium juvenis, aut decrepita; gravi-
ditas, morbi praegressi debilitantes. Ventriculus
cibo distentus multo rumpi potest vi illata, et
ictu etiam minus valido. Ebrietas hominem
reddit ineptum fugae; ebrius majorem sanguinis
jacturam patietur; febrim vulnerarium majorem.

Quaeritur jam, an is, qui vulnus e. g. ab-
solute, sed individualiter tantum letale intulit,
eidem poenae obnoxius sit censendus, cui alter
subjacebit, qui absolute et universaliter letalem
laesionem intulit? Si aggressor conditionem no-
verit, sub qua letalis laesio fiat; sive, si statum
alterius noverit, noveritque antea, quod inferen-
da talis laesio certam huic homini mortem sit
allatura, tunc erit homicidii reus: e. g. si quis
forte olim miles trepano usus, si loco consolida-
to bene habeat, tamen quia calvaria ibi loci
semper tenuior est, vim externam illatam ibi
quoque difficiliter perferet; quod si aliis quidam
ipsius commilito debiliorem nunc calvariae locum
probe nosset, et intentione directa colaphum
aut ictum etiam minus validum teneriori calva-

riae impingeret, utique aggressor talis homicidii reus erit.

Laesio non absolute, sed tantum per accidens letalis illa est, quae probabilius, spectando scilicet plures ejus laesionis casus, aegro mortem non attulisset, nisi circumstantiae quaedam post laesionem accessissent, quae sanitatem impediverunt. Laesio ergo per accidens letalis semper praesupponit possibilitatem, quin et maiorem probabilitatem sanitatis recuperandae. Videamus hasce serius accedentes circumstantias, quae laesiones per se non letales mortiferas reddunt.

1 Si vulneratus immoderato utatur victu, eoque e. g. spirituoso, quo febris vulneraria graviter incenditur, et gangraena supervenit.

2 Si, in vulneribus capitis, studio se exponat, aut frigidiori aëri, quam conferat, aut calidiori.

3 Si immoderatius clamet, tumultuetur, irascatur; si moerore, nostalgia, vindicta, metu mortis nimio conficiatur, aut tempore consanationis amoris illecebribus indulgeat; si aut molitie, aut metu doloris chirurgum adhibentem remedia impeditat, quae ex usu forent. Si vulneris inflictum sit e. g. capitis alias sanabile, sed ob pestilens anni tempus, aestum, ob locum paludosum, mortem afferens.

4 Si vulneratus sit in loco remoto, ubi requisita auxilia satis cito haberi nequeunt.

5 Si chirurgus imperitus aegrum male tractet, aut necessaria auxilia praestare nesciat. Si cognati, vel alii adstantes momentosum aliquod curationis impedimentum ponant.

Eiusmodi laesiones, quas mors insequitur

non ob ipsam vulneris conditionem, sed ob adventitium quoddam impedimentum sanationis, aggressorem non faciunt homicidam, isque et a medico et a judice ab homicidii culpa absolvitur; nisi fors adventitias has, vitaeque vulneratis inimicas conditiones aggressor praescivisset. Hinc in relationibus judici faciendis expressis verbis conditio laesionis factae exponatur, an scilicet sit e. g. *vulnus absolute quidem letale, et universaliter, an absolute quidem letale, sed solummodo in certis individuis;* an vero per *accidens letale*, sive tale, quod probabilissime sanationem admisisset, si hoc vel illud impedimentum serius accessisset.

Nunc singularum partium laesionem nominatim recensebimus, ut letalitatem vel absolutam, vel solum accidentalem in exemplis conspiciamus.

Consideranda veniunt vulnera cerebri vi mechanica facta, gladio, glande plumbea, fragmanto calvariae, ejusque interioris tabulae. Regula in diagnosi letalitatis circa vulnera encephali haec est; scilicet:

Imo Omnia vulnera cerebri *profundiora*, versus eiusdem basin pergentia; vulnera cerebelli, medullae oblongatae, medullae spinalis, ibi praecipue loci, ubi primas colli vertebrae replet, sunt absolute, et universaliter letalia.

Vulnera cerebri non repente letifera, sed excitata longa suppuratione, *tardam* licet, attamen certam mortem afferentia. Objicitur equidem contra hanc vulnerum letalitatem, quod magna cerebri vulnera, cum magna cerebri portione deperdita, fuerint feliciter sanata; glandes plumbeae minores, fragmenta cultri in cerebro

remanserint, clauso nihilominus vulnerè, et sibi perstite vita (vide Martini ein Duzend Beobachtungen das Hirn betreffend; item *Zacutum Lusitanum*.) At casus ejusmodi pertinent ad mirabilia, insueta, et contra ordinariam corporis animalis legem; hinc judicium ferendum est ex iis, quae ut plurimum fiunt.

2do Laeditur functio cerebri non solo *vulnerè*, sed, et *compressione*, quam patitur. Possunt enim vasa sanguifera et serosa ob vim externam illatam rumpi, quin ullum in cranio vitium deprehendatur. Effusus humor vel sola *pressione* encephali functiones tollit, vel corruptus et in ichorem conversus cerebrum erodit, consumitque. In primo casu cito accidit, in altero tarde, attamen certo. Quod si humor is extravasatus eum locum intra calvaream occupet, qui trepano applicato aperiri queat, laesio haud erit absolute letalis. Si trepani applicatio fuerit omissa, erit laesio per accidens letalis.

Juxta *Bohnium* laesio erit absolute letalis, etsi affusus humor in ejusmodi loco sit, qui aperiri mediante trepano possit, dummodo nulla, aut maxime dubia signa sint pro adiplicando trepano; scilicet: si adsint fissurae admodum parvae, a chirурgo haud animadvertiscunt, tales praecipue, quae cum suturis coincidunt; si adsint contrafissurae, quarum situm scire et detegere nemo potest; si bonae ad speciem aegroti res medicum decipient, et ad omittendum trepanon inducant; lene, et nullius momenti instrumentum, quo vulnus infligebatur, e. g. colaphus; si mors citius sequatur, quam trepanon possit adiplicari; si ignoretur, quod humor quidam intra calvaram affusus sit, uti e. g. si

quis alicubi sensuum omnium inops in platea deprehendatur.

Ubi extravasatus humor fundum calvariae petuit, aut ventriculos, aut praeternaturalia cava sibi fecit, aut ubicunque is humor ejusmodi locum occupat, unde arte chirurgica educi nequit, erit laesio absolute letalis.

Ubi vasa *majora*, sinus rupti sunt, et haemorrhagia sisti nequit, ibi erit laesio absolute letalis.

Cerebrum comprimendo laedit etiam *strangulatio*, manu, fune, ubi jugulares compressae sunt, etc.; si mors mox secuta est, si sectio venarum jugularium omissa fuit, tunc laesio erit absolute letalis.

Humor affusus intra thecam colli, luxatio vertebrarum colli, laesionem facit absolute letalem. Medulla spinalis intra dorsi spinam compressa mortem affert dirissimam, post diuturnam alvi et urinae suppressionem.

Concussio cerebri (*Hirnerschütterung*) orta a vi externa, casu ab alto, colapho impacto, laesiones subinde facit absolute letales, quando nempe rupturae contingunt vasorum, et humorum effusio; vel repentinam *apoplexiā* producit, quin ejus vestigium in cerebro secto reperiatur; vel ob praeeistentes varices, hydrides, vomicas, talis concussio letalis fit; vel et tenuis nimium calvaria, aut mollissimum sistema nerveum occisorem excusat.

Cetta est observatio, laesiones encephali periculosas semper esse, etsi non semper vitae jacturam faciant. Encephalo laesus cum omnibus bonis signis mori nihilominus potest, tarde licet; potest ad speciem convalescere, et post

menses etiam plures mori, morte necessaria, inevitabili, eo autem in casu fragmenta interioris tabulae calvariae sanguis, pus reperitur. Hujusmodi tarde mortem inferentes laesiones erant aut *absolute*, aut per *accidens* letales, pro ratione circumstantiarum. Ex hac tarda, attamen inevitabili morte post laesionem encephali sequitur, quam parum tunc valeant dies critici in dijudicanda vulnerum letalitate; possibile enim est, et non infrequenter evenit, ut laesio encephali absolute letalis nihilominus post longum primum tempus mortem afferat certam, non prohibendam ulla arte; hinc ex eo solo, quod aeger supervixerit longo adhuc post laesionem tempore, per se concludere non licere, laesionem hanc carere absoluta letalitate.

Laesiones nervorum magnorum, qui non immediate pro integritate functionum vitalium requiruntur, si pungantur, si fibrae quaedam nerveae dissecantur, integris manentibus reliquis, sequentur syncope, spasmi, mors ipsa. Si vero semilacerus nervus ab artis perito ex integro dissecetur, ea symptomata cessabunt. Hinc in ejusmodi laesionibus nervi alicuius ex integro dissecti statuenda erit letalitas per *accidens* letalis; si vero semidissecetur nervus, et dicta symptomata superveniant, erit *letalitas absoluta*, ubi locus nervi semilaceri talis est, ut manum chirurgicam non admittat; *letalitas per accidens*, ubi chirurgus nervum semilacerum poterit ex integro dissecare.

Laesiones etenim parvae nervorum possunt esse letales, si irritabile nimis fuerit sistema nerveum; sed ea letalitas erit per *accidens*.

Laesiones ganglii cujusdam nervei aut plexus

nervei mortem inferre facile possunt; quin nifia nervei systematis irritabilitas accusari possit; eo in casu laesio ganglii mortem inferens *absolute*, et non per *accidens* letalis dicitur.

Laesiones qualescumque viscerum illorum, quae multis nervis donantur, et quorum integritas ad vitam simpliciter continuandam requiritur, saepe inevitabilem mortem inferunt; hinc ictus ad cardiam, seu scrobiculum ob viciniam dia phragmatis et ventriculi; ictus, pressio, vulnus testiculorum, uteri, leviora cordis ipsius vulnera syncopen, spasmos, mortem, inevitabili necessitate inducunt.

Tendinum laesio subinde facit spasmos, convulsiones, mortem. Tendo equidem per se non sentit; sed in semilacero tendine fibrae musculares inaequaliter trahuntur; hinc oportet tendinem semidissectum ex integro dissecare.

Inflammatio sane magna oritur, indeque gangraena, aut ingens suppuratio.

Si humor aliquis effusus inflammationem causet, isque removeri non possit, erit letalitas absoluta.

Vulnera ventriculi cavum non penetrantia, occidere possunt orta cita inflammatione, et gangraena, item sanguinem effundendo in cayum abdominis; subinde sponte coalescunt.

Vulnera ejus cayum etiam penetrantia fuere curata; nihilominus rariores curatorum casus noti faciunt, ne absolute letales judicemus ejusmodi laesiones ventriculi.

Becker, Schurius, et Ill. Van Swieten ad §. 170 memorant curata ventriculi vulnera; nihilominus ut plurimum mortem inferunt. Hinc si mors non sequatur, erit id quidem pro aggressione.

soris causa; attamen si mors sequatur, ea non poterit in aliquid accidens refundi.

Intestinorum vulnera frequentius curata leguntur; etiam ex integro dissecta coaluerunt; item intestina gangraenosa alicubi, cum et sine ano artificiali rarius curata; nihilominus magna parte dissecta, vel ex integro dissecta intestina letalitatem absolutam faciunt.

Haemorrhagiae ex laesione mortem saepe inevitabilem afferunt. Arteria laesa ibi, ubi manui accessus non est, quaeve simul *major* fuerit; etiam cor laesum, aorta laesa, arteria pulmonalis, laesa carotis, vertebralis arteria, subclava, arteriae viscerum abdominalium quorumcunque laesae absolute letales sunt.

Venae eisdem tutius laeduntur; nihilominus laesa major vena, quae ob situm comprimi non potest, item laesa cava, laesa pulmonalis, jugularis interna, subclavia, vena portae laesa; venae viscerum abdominalium laesae, mortem saepissime faciunt; hinc si ea sequatur, erit letalitas absoluta.

Laesio nervorum intercostalium, parisque vagi, mortem afferit saepius.

Laesio organorum ad respirationem pertinentium nunc consideranda. Aspera arteria ex integro dissecta absolute letalis; eisdem stupende curationes apud *Paraeum*, *Tulpium*, *Bartholinum*, *Swietenium* leguntur; sed inde nil conficitur.

Nervi diaphragmatis laesi mortem saepius afferunt. Diaphragma laeditur laesione absolute letali; saepe viscera abdominis per vulnus diaphragmatis thoracem subeunt.

Magna ipsius pulmonis vulnera, ob laesa

viscera sanguifera, et effusum intra thoracem sanguinem absolute letalia sunt. Latum utriusque thoracis vulnus occidit pulmones compri-mendo. Latum vulnus unius cavi et mediastini idem facit. Latum vulnus unius thoracis tardius occidit.

Constrictio arcta abdominis et thoracis simul impedit respirationem; mors haec infantibus accidit ob nimiam fascinationem.

Continuatae exspirationes ob titillationem occidunt.

Strangulatio occidit. Signa strangulationis sunt: caput lividum; turgidae jugulares, oculi, lingua; cor dextrum, cava vena, vasa pulmo-num et cerebri infarcta.

Signa strangulationis in aqua, sive suffocationis, sunt eadem: insuper saepè aspera arteria, bronchia spumam habent, aut aquam rubellam; attamen etiam alii quidam idem exhibent. In submersis glottis constricta saepe reperitur. Hinc cognoscete possumus, an qui vivis, fuerit in aquam injectus, an vero mortuus, an vivus suspensus, an mortuus?

Laesio oesophagi, ibi ubi chirurgis manum admoveere potest, sanari potest; gravior, et inferius non potest; idem judicium, sicut de laesione ventriculi.

Garengot, Paraeus narrant, oesophagum vulneratum et sanatum; sed id nil facit.

Recaptaculum chyli, ductus thoracicus lae-sus, atrophiam, speciem hydropis, et mortem adfert, aegerque certo moritur, etc. fors post plures primum septimanas. Ars nil hic prodest.

Laesio mesenterii magni sibi junctam ha-bet laesionem vasorum aut sanguiferorum, aut

lymphaticorum et lacteorum, et ut plurimum occidunt.

Laesio ductus hepatici, cystici, choledochi, vesiculae felleae absolute letalis.

Vulnera renum, ureterum, vesicae, nisi ob ipsum laesionis situm fors cum vicina parte coalescant, aut urina omnis commode extra corpus feratur, et tandem in fistulam abeat, ea laesio erit absolute letalis. Sed quare renes per annos multos tamen absque absoluta letalitate possunt esse abscessibus pleni? quare punctura vesicae, quin et liothomia fieri potest?

Laesio splenis, hepatis, uteri, absolute letales sunt. Quare tamen splen legitur cani vivo exsectus innoxie? Respondeo: quia per artem id siebat, et haemorrhagia cavebatur ligaturis. Quare abscessus hepatis aperiebantur innoxie? suppuratio praepedivit haemorrhagiam. Quare sectio caesarea instituitur? Ea instituitur utero distento, ubi, foetu exempto, uterus sese contrahere potest.

De venenis chemicis et vegetabilibus alia vice dictum fuit; restant venena mechanica. Agunt ventriculum irritando, inflammando, abscessus faciendo, occidunt lente; e. g. pulvis adamantis, aliorumque lapidum pretiosorum, alumen plumosum, crystallus montana, vitrum contusum; sunt tamen, qui per multos annos vitrum contusum comedunt impune, serius tamen multantur; pili animalium in frustula minuta consSSI; ramenta unguium humanorum: exstat dissertatio: *Bauer de ungue veneno*.

Venenda suffocando occidentia sunt, quae vel aut bronchia, aut vesiculas pulmonales spastice constringunt; vel aëris elasticitatem me-

mento tollunt, quae tamen ad explicandos pulmones requiritur; vel coagulando sanguinem in pulmone contentum. Ita occidit fumus carbonum, fumus ascendens ex antris quibusdam subterraneis, fumus accensi sulphuris, vapor fermentantis vini, fumus ascendens ex concentrati acido nitri, salis, spiritu salis ammoniaci; pollen quorundam fungorum, et quorundam aliorum venenorum; epistolae venenatae eadem ratione occidunt.

Venena stupefacentia sunt belladonna, cicuta, praecipue aquatica, de qua *Weperus* pulchram dissertationem dedit; cicutaria; phillandrium, draconicum, hyoscyamus, laurocerasus, nux vomica, oenanthe, solanum, opium.

Filtra sunt venena plerumque stupefacentia, vel aphrodisiaca validissima, cantharides etc., et per accidens amorem concidunt.

Venena lenta sunt aqua Toffana, plumbum, ejusque praeparata.

Examinanda adhuc sunt quaedam mortis genera; scilicet: enecati fame, siti; diagnostica non dantur. Mors frigore inducta, sole, sive insolatione; injecto per os oleo fervido, liquefactis metallis, igne electrico, cuius enecandi modum nondum satis scimus; fors vasa encephali rupta deprehendentur, sugillationesque; fulmine, ira, terrore, qui cordis rupturam fecit.

Sterilitas et impotentia.

1 Vir cujus omnia ad generationem requisita membra bene sunt constituta, quive erigere se posse asserit, habendus pro potente.

2 Impotentia permanens facit divortium, non autem temporaria.

3 Impotentia *respectiva* non facit divortium;
absoluta et simul permanens facit divortium;
absoluta et temporaria non facit.

4 Standum semper pro valore matrimonii,
nisi evidentes adsint in contrarium rationes. Bonum totius humani generis hoc expetit.

5 Quid de ligatis et ligaturis sentiendum?

6 An herniosus aptus ad matrimonium?

7 Testiculis carentes an apti? Respondeo:
aliud est carere re ipsa testiculis, et aliud eos
habere absconditos in abdomen.

8 Unius testiculi homines aut trium, an
apti?


9 Qui fissam habent urethram, an apti?

10 Qui callosam in glande urethram habet,
et foramen habet laterale in pene, an aptus?

11 Circa foeminas eadem divisio sterilitatis,
quae impotentiae in viris. De foemina hoc
valet: apta ad matrimonium habetur, quae vi-
rum *admittere* potest.



D E
H E R N I I S.



Frequentissimus morbus Hernia est, et periculosis, atque omnis sexus et aetatis.

Est autem hernia visceris cuiusdam extra suum cavum proprium in alienam cavitatem translocatio.

Dividitur: 1^{mo}, ratione *regionis corporis*, in herniam *cerebri*, *pectoris*, *abdominis*. Hernia *cerebri*, ablato cranii frustulo per trepanon, aut eroso, manentibus membranis.

Hernia *pectoris*, dislocatio pulmonum ob ablatas, erosas costas, aut dehiscentes, aut nimium flexiles. Hernia *cordis* ob eandem causam.

Frequentissima hernia *abdominis*: ea denuo dividitur: 2. *ratione plagae* in *inguinalem*, eamque completam et incompletam; in *cruralem*; sub ligamento *Poupartii* enim magna vasa sanguifera ex *abdomine* in *femur* descendunt; in herniam *umbilicalem*; in herniam *ventriculi*, si in *regione ventriculi* oriatur. Item in herniam *vaginalem*, si viscera intra *uteri* *vaginam* et *rectum* *intestinum* sese insinuent; hernia *foraminis ovalis*.

3^{ta}: Dividitur *ratione prolapsae partis*; nulla pars est in *abdomine*, quae non subinde

fuerit prolapsa; frequentius vero intestina, omentum, aut utrumque; hinc nomina Enterocele, epiplocele, enteroepiplocele.

4to. Ratione temporis in *congenitam*. Novimus ante nativitatem, subinde etiam post eam descendere testiculum in scrotum. Si jam via descensus maneat aperta, et viscus quoddam abdominis omentum sequatur, erit hernia *congenita*.

5to. Ratione partis *integre*, vel *ex parte* solum prolapsae; ut si vel totum quoddam intestinum, vel ejus paries unicus fuerit prolapsus, in *perfectam*, et *imperfectam*.

6. Ratione situs *externi* vel *interni*. Intra abdomen enim stranguli intestinum potest, et dislocari intra thoracem, intra cavum omenti e. g. perforati, aut mesenterii, aut ligamento praeternaturali stringi potest.

7mo. In hernias *cum* et *sine* *sacco* *hernioso*. Raro finditur peritonaeum, nisi in hernia a vulnera, aut repentina distractione.

8vo In *spurias* et *veras*. Spuriae sunt *hydrocele*, *haematocele*, *cirsoscele*, seu hernia varicosa, et *sarcocele*.

Perfectum datur aequilibrium aut actio et reactio aequilibrata inter musculos abdominis et ejusdem viscera: hac sublata datur *hernia*, si modo ventris *plaga* *quaedam* cedere debeat. Non laquimur hic de *totius* *abdominis* extensione, uti in *hydropo*, *tympanite*, *obesitate*, *graviditate*.

Hanc *totius* *abdominis* relaxationem aliqui *herniam* *totius* *ventris*, sed male, appellarunt; est quidem morbus in foeminis praecipue, sed *hernia* non est.

Si locus, et *quaedam* *plaga* *abdominis* ce-

dant, ea pars cedens est solum fere peritonaeum et integumenta: non, aut perraro, ipse *musculus*; *musculus* dehiscentes in cellulosa sit hernia.

Ibi hernia frequentior, ubi plaga quaedam est natura sua debilior ad annulum, ad ligamentum *Poupartii*, umbilicum.

Causa praedispone ns est maxime debilitas *adventitia*, aut *nativa*. Hinc herniae non sunt quidem haereditariae, attamen, debilitas est saepe haereditaria, ut per exempla patet. Debilitas ergo muscularum abdominalium, mesenterii, ejusque laxitas, obesitas, ob hanc ipsam debilitatem; ictus; frequens graviditas, partus laboriosi; vulnus, etiamsi non penetret; distractio retrorsum, ad latus, eaque repentina; esse suspensum ex brachiis; elevatio ponderis, maxime vero ejus gestatio erecto corpore; repletio abdominis cibo, saburra, flatu; colica flatulenta; vomitus, tubarum inflatio, clamor, vagitus, tussis convulsiva; dura alvus; concionatores, monachi, cantores; gesticulatores, saltatores, equites, parientes; obesum omentum; lapsus ab alto, thoraces foeminarum; hydrops.

Diagnosis herniarum adcurata est instituenda, ne hernia confundatur cum alio quoconque tumore.

Confundi autem posset cum tumore *scrophuloso* inguinis; cum *bubone metastatico*; cum *bubone venereo*; cum *hydrocele*; cum *testiculo serius descendente et dolente*; bene tunc distinguendum est: 1 Testiculus tunc in scroto deerit; 2 Tumor hic, seu testis in inguine haerens tractus peculiarem sensationem et dolorem patitur, qualis nempe a teste presso oriri solet,

Cum *cirsocele*; at haec initium sumit a teste, ascendit, fasciculum lumbricorum refert.

Ad formandam herniae diagnosim sequentia debent perpendi: 1 an *tumor* ibi sit, ubi alias herniae solent observari; 2 an *tumor* indolens sit, an repente ortus post causam talem, quae efficere hernias solet; tumores enim alii *chronici lente* oriuntur, et *acuti*, uti e. g. tumores metastatici, inflammatorie dolent; 3 an mutabilis et variabilis magnitudinis sit, major stando et inspirando, tussiendo, minor vero inter decumbendum, et manu adposita; major a pastu, doloriorque, minor ventre jejuno; frequens leipothymia, colica crebra, alvus segnior, borbotygmi, vomitioque, dum tumor major est.

Tumor rotundior, elasticus, borborygmis vexatus, et dolore colico, est ab elapso intestino. Tumor minus variabilis magnitudinis, et informis, non elasticus, ab omento est. Afficitur tamen et ventriculus et alvus a solo omento, vellicato scilicet.

Subinde difficillime detegitur hernia ob ejusdem exiguam molem, praecipue recentes, haec maxime periculosae sunt. Subinde unus solum intestini paries intercipitur; nihilominus omnia dira symptomata observantur; alvi invincibilis obstructio, licet pervio canale.

Inter frequentissimas hernias est inguinalis, ubi per annulum abdominis viscus procidit. Diversae magnitudinis est. Haeret in inguine, aut ad scrotum descendit, aut ad labium pudendi, aut etiam ad genua. Vidi herniam talem in homine mediocris statura, *Argentorati*, qui repente mortuus secabatur. Omnia intestina, duodeno et rectis exceptis, erant in sacco hernioso;

is ad genua protendebatur; ventriculi fundus, parsque ejusdem sinistior haerebat jam in annulo. *Heisterus* imaginem ejusmodi portentosae herniae depictam exhibet.

In hac praecipue herniae specie id observatur, ut omne fere scrotum et integumenta penis in saccum herniosum absumantur, eumque constituant. Hinc testium nullus comparat, et ipse penis ita est absconditus, retractusque, ut eo videatur carere penitus.

Inde quaestio nata olim est, an hernia sit impedimentum matrimonii. Resolvi haec facile poterit, scilicet: esse per se nullum matrimonii impedimentum in hernia, nisi ejus enormis magnitudo efficiat. Idem de herniis foeminarum dici debet, nullum videlicet illas impedimentum ponere, nisi ob molem suam subinde nimiam impedianc mechanice.

Ceterum de sacco hernioso haec sunt notanda: 1 Fabricam constare integumentis communibus ventris, et dein peritonaeo elongato. 2 Esse crassitiei variae, ita tamen, ut ex herniae magnitudine nequeat determinari ejusdem crassities. Plerumque ita obtinere *Illustris Richter* asserit, ut, quo major hernia, quo magis elongatum sit peritonaeum, eo etiam ipso peritonaeum sit magis incrassatum. Verumtamen secimus hernias *parvas*, sacco crassissimo, et *magnas* sacco tenui. Mihi videtur, crassitatem sacci dependere ab attritu majori et minori aliquius brachierii. Ceterum hernia inguinalis maribus communissima, rarior foeminis est.

Incommoda herniae: 1 Herniae sunt liberae, et reponibiles; 2 Herniae non reponibiles sine incarceratione; 3 Herniae non reponibiles incar-

ceratae. Prima species non periculosa, attamen secunda; pessima tertia. Praeter periculum incommoda adsunt ventriculi, intestinorum, alvi, coctionis; incommoda inter laborandum; matrimonii; varices funiculi spermatici; tumor testis. Herniosus est in continuo vitae discrimine.

Si viscus quoddam in saccum prolapsum stranguletur, ita, ut reduci libere nequeat, erit *hernia incarcerata*: Ut multiplex esse potest viscus prolapsum, et locus hujus prolapsus, ita etiam erit diversa incarceratio Attamen saepius fit strangulatio in collo sacci pyriformi, fitque plerumque ab annulo abdominali. Viscus plerumque est intestinum.

Effectus incarcerationis non solutae sunt: 1 Interceptus canalis alimentaris; 2 Obstructio invincibilis alvi; 3 Partis vero prolapsae, ob circulum interceptum, inflammatio et gangraena.

Symptomata sunt: dolor in loco hernioso auctus tactu, inspiratione, tussi; tortura ventris deinde superveniunt; tensio abdominis et inflammatio; tandem, sed non semper, rubor externus herniae. Alvis pertinax; vomitio ingestorum, biliosa, flatulenta, anxietas. Febris inflammatoria enteriticaque; attamen exiguis, contractis, obscuris pulsibus; non ergo hic metiri oportet febrim ex pulsu solo. Singultus; artuum frigus, sudores frigidí in guttas collecti.

Exitus est, vel mors totius hominis morte enterica morientis; vel mors solius prolapsae partis, et fistula stercorea, aut anus praeter-naturalis.

Haec fere symptomata sunt *intercepti intestini*; paulo alia erunt, si aliud viscus stranguletur; nos hic de hac sola, utpote *frequentiori* agemus.

Incarcerationes nothae; seu spuriae dantur:
 1 Si in hernia, licet non strangulata, dolor
colicus undecunque ortus observetur; equidem et
 hic loci, ut in reliquo abdomine, colici dolores
 oriri possunt. Hic medela *colicarum* locum ha-
 bet; 2 recenter orta hernia *vellicando* facit ea-
 dem symptomata, etsi strangulatio nulla adsit;
 3 herniae magnae in diu stantibus; 4 aliae vo-
 mituum aut ilei species in herniosis, sed ab
 ipsa hernia non provenientes; male tamen mor-
 bus in herniam refunderetur.

In omni pertinaciore vomitu, ileo, alvi
 difficii solutione, torminibus, de hernia in-
 terrogandum. Etsi nulla appareat, tamen illa
 adesse potest, si scilicet unicus paries fit in-
 terceptus.

Causae proximiores incarcerationis sunt qua-
 tuor: 1 vel ipsum prolapsum viscus; 2 vel an-
 nulus, isque fere semper; 3 vel saccus hernio-
 sus; 4 musculi abdominis.

Annulum frequentissimam causam strangu-
 lationis dixi, etsi multi ei vim contractilem et
 musculariem denegent. Nam 1 non deest ei
 omnis vis contractilis; 2 etsi passive se solum
 habeat, tamen strangulat; 3 etsi etiam careret
 vi contractili, non tamen carent illa musculi,
 quorum fines tendinei annulum efficiunt; 4 con-
 stat per omnes nostras observationes, difficilli-
 me adigitur instrumentum; impressio facta ab
 annulo in intestino visui patet.

Annulus ergo stringit: 1 si recenter her-
 nia oriatur; 2 si in veteri hernia nunquam
 reponibili *nova* pars prolabatur, et incarce-
 retur.

Recens hernia magis incarcerationi obnoxia ob annuli elasticitatem, minus vero hernia vetusta.

Hernia *subito*, item in *robusto*, item a *vi externa* orta periculosior; periculosior in adultis, maribus, quam foeminis et pueris; parva hernia periculosior, quam magna est.

Causae incarcerationis herniae dicebantur 1 annulus, 2 viscus ipsum prolapsum, 3 saccus herniosus, ejusque collum; 4 musculi abdominales. De annulo, tanquam incarcerationis causa sufficienter dixi; nunc devenio ad aliam strangulationis caussam, scilicet ad saccum herniosum.

Sacci herniosi loca quaedam *angustiora* strangulare possunt. Collum sacci angustius, scilicet ob brachierium subinde gestatum, subinde depositum; subinde strangulatio fit *solo collo* sacci, ubi annulus amplus est, et non strangulat; subinde vero causa strangulationis est et in sacco, et in annulo quaerenda. Subinde ipse saccus *disruptus* externa vi, aut erosus per suppurationem elabi permittit intestina, ut ea solis externis integumentis tegantur; fieri tunc strangulatio potest in ipso sacco hernioso, seu, fit hernia incarcerateda in ipsa hernia.

Tertia caussa strangulationis est, *viscus prolapsum* e. g. omentum circumdans intestina, et strangulans. Opus hic est omentum et intestina expedire, nodosque solvere, et reponere, si id fieri possit; annulus et saccus nil conferunt ad incarcerationem. Item omentum præpingue premendo solum partem prolapsam intestinorum, speciem incarcerationis facit.

Corpora aliena indigestibilia, nuclei, ossa; ferramenta, acus si deglutiatur, et ad angustatam intestinalium partem pone annulum deferantur, incarcerationem efficiunt. Item colica herniae inflammatoria, inflammatio prolapsae partis. Excrements, aut flatus collecti, praecipue in herniis magnae molis, et vetustis.

Quarta incarcerationis caussa quaeri debet in musculis abdominalibus ipsis spastice constrictis; hac enim ratione viscera vi urgentur in saccum herniosum, simulque annulus constringitur. Haec est illa herniae species, ubi non tam herniae, quam toti abdomini cataplasmata emollientia debent applicari; ubi balnea totius corporis, ubi antispasmodica omnis generis tantopere celebrantur.

Pervenio nunc ad diversas species incarcerationis, atque ad methodum medendi. Haec res nostra attentione eo dignior, quo crebriores herniarum incarcerationes occurrent, et quo difficilior, et errori periculoso maxime obnoxia esse solet diagnosis.

Plerumque promiscuam, et empyricam facimus medicinam, idque ob defectum diagnosis, quod scilicet diversas herniae incarceratedae species non distinguamus. Hinc est, quod quedam remedia nunc in instanti profuerint, eademque ipsa remedia alio tempore manifeste nocuerint. Hinc hujus methodi tantae laudes ab uno autore, et tanta vituperia ab autoribus aliis. Dicendum est, singulos bene observasse aut utilitatem remedii, aut ejus etiam nocumenta; veruntamen in eo errarunt, quod *species* variis, totoque coelo diversas incarcerationis non distinxerint.

Quadruplex incarcerationis species datur,
quarum quaevis ab altera est diversissima.

Prima incarcerationis *acuta*, seu *inflamatoria*,
seu *febrilis*; *Secunda*, incarcerationis *non febrilis*,
seu *chronica*; *Tertia*, incarcerationis *spasmodica*.
Quarta, *complicata*.

In *prima* specie symptomata omnia sunt
inflammatoria; dolor, febris, abdominis et her-
niae tensio entetitica; decursus celer in maribus,
hernia parva, recenti.

In *secunda* dolor exiguus; nulla febris; in-
commoda ventris; pedentim; hernia magna,
antiqua, in homine seniculo, foemina. Diu per-
sistunt ad 12-20 dies. Sero febris et dolor, et
inflammatio, et *gangraena*. Post 2-3 septimanas
operatio feliciter est peracta.


Tertia species: absentia signorum primam et
secundam speciem designantium. Signa sunt:
remissio et exacerbatio certo, incerto tempore,
quin et intermissio per horas; pulsus exiguus,
sudor frigidus, respiratio parva, citata (haec
distinguenda sunt a statu gangraenoso) spastica
tensio musculorum abdominis; indolentia in
hernia; sudores frigidi, singultus, terror prae-
gressus. Periculum est ab universalis spasmo et
obrigescientia corporis. Demonstratur existentia
hujus speciei incarcerationis ab usu opii, casto-
rei, oleosorum, semicupiorum, cataplasmatum
emollientium, et antispasmodicorum; refractae
doses tartari emeticci, ipecacuanhae.

Quarta species est *complicata*.

OBSERVATIONES

DE

COLICA SATURNINA.



Historia morbi I.

Vir viginti septem annorum, per tres annos Deauratoris amanuensis, jam a mense Martio anni 1776. continuo aegrotabat. Ab initio cephalaea, cui tandem dolores rheumatici jungebantur. Apud Fratres misericordiae per 14 dies decubuit; mitiores continuo facti sunt dolores; hinc discessit e nosocomio, modicis tantum rheumaticis doloribus, et debilitate in hunc usque diem residuis. Quatuor enim diebus elapsis, cum ingens artuum inferiorum dedolatio urgeret, 30ma Julii nostrum nosocomium accessit.

Conquerebatur de doloribus abdomen con-
torquentibus, ardore scrobiculi cordis, et ven-
triculi, doloribus lumborum, rheumate omnium
artuum, tenesmo et stranguria. Pulsus fortis,
plenus, celerior naturali; lingua albida, os sic-
cum, per vices amarum; abdomen molle, at
introtractum. Vomituritio frequens, et sensus
rei per oesophagum aseendentis, imo sternum
versus laryngem trahebatur, unde strangulationis

species oriebatur. Testiculi retrotracti; alvus dura. Enema, emulsio camphorata cum manna et sale sedlizensi, et, cataplasma emolliens abdomini applicatum. Magnum inde levamen, et protracta hac nostra methodo, intra paucos dies convaluit.

Balnea etiam in his casibus indicantur; cataplasma quoque et fomenta optime conveniunt. e. g.

Rec. Fol. malv.

— — alth.

Fl. Chamom. aa. manip. ij.

Conc. coq. c. s. q. aquae per 1/4 horae.

Colatura. Mens. ij. per linteum pressa d. u. pro fotu ad abdomen, omni hora, aut bihorio renovando.

Historia morbi II.

Vir 37 annorum, per tredecim annos pingendo et pigmenta terendo victimum quaerens, ceterum semper sanus, tribus abhinc septimanis gravitate et dedolatione artuum, atque cephalalgia corripiebatur. Alvus rara; accessit dolor pressivus et contorquens ventriculi, praecipue circa umbilicum; vomituritio, et sensus repleti ventriculi. Biduo, antequam in nosocomium accesserat, pulverem purgantem sumpsit, unde alvus quinques, et assiduus vomitus movebatur.

16ta Augusti 1776. in nosocomium susceptus. De ingenti artuum dedolatione conquerebatur; dolores diu noctuque assidui; cervicis quoque dolores, et biliosus per vices vomitus. Alvus naturalis. Pulsus fortis, plenus, durus, haud celer. Dolor circa umbilicum assi-

dūis, et tam vehemens, ut aeger continuo sē in lecto volutaret. Dabatur mixtura oleosa cum granis quatuor opii et granis sex camphorae; modicum inde levamen; enema quoque applicabatur. Nulla porto alvus, et flatus infimum ventrem oberrantes.

Die 17ma enema ex sale petrae et electuario hierae picrae; nulla alvus. Oleosa mixtura repetita cum granis sex opii et camphorae. Dolores inde evanidi, et enemate vesperi applicato, alvus parca, attamen haud dura ponebatur.

18ma Mixtura oleosa cūm granis iij. opii. Vesperi tormina recruduere; saepius etiam duante hoc morbo amaurosis accessit, brevi iterum sponte evanescens. Vesperi duo adhuc ij. grana opii data, et enema ex sale petrae et electuario hierae picrae. Albus inde frequens et mollis, dolor omnis evanuit, et nox tranquilla.

19ma Eadem mixtura oleosa cūm granis ij. opii. Optime hac die se habuit. Sumpsit deinde mixturam chamomillae. Ad perfectam usque sanationem nullum aliud symptoma, praeter pulsū paulisper plenum et durum, observabatur, qui tamen absque venae sectione sensim disparuit.

Id singulare in hoc aegro, quod nullo unquam remedio prophylactico usus fuerit, et quod alvus longo opii usu adeo non fuerit suppressa, ut potius facilior, mollior, et frequentior inde succederet.

Amaurosis etiam per vices accedens insolens erat, in aliis ejusmodi aegris a nobis haud visum symptoma.

Praeter haec superius enarrata symptomata aeger de nulla alia re conquerebatur; ut, nisi de vitae genere jam constitisset, haec colica facile pro alia colicae specie imposuisset.

Historia morbi III.

Pictor 32 annorum, a viginti quatuor annis nullo gravi morbo detentus, 9ma Augusti 1776 dolore ardentissimo et contorquente abdominis ad regionem usque pubis protenso corripiebatur. Umbilicus profunde introtractus; dolor ardens regionem epigastricam, hypochondria, et totam anteriorem thoracis regionem sensim occupabat. Aeger de illo et rei ascedentis et laryngem strangulantis sensu, ut in aliis aegris vidimus, non conquerebatur; neque dolor artuum rheumaticus, neque vomituritio, neque flatum ex ventriculo explosio; sapor haud depravatus; ceterum alacris aeger, et vires bonae; appetitus; alvus facilis et regularis; urina absque omni difficultate mittebatur.

10ma Laboribus suis valedixit; dolores enim abdominis vehementiores, vomitus humoris aquosi, atque etiam bilis aeruginosae, omniumque assumptorum. Noctu magis aegrotabat; ac interdiu.

11ma Omnia pejora; 20ma bilem aeruginosam vomuit: libera alvi et urinae excretio; pulsus fortis, plenus, attamen non durus, neque vibrans, lingua albida. Neque tamen ex his omnibus hanc colicam pro colica saturnina habuisse, nisi ex anamnesi certus fuissem, aegrum hunc continuo plumbata tractasse.

Id insuper aeger nobis narraverat, se, an-

tequam ad consuetos quotidie labores accederet, butyrum comedisse, atque universim lacte et lacticiniis plurimum semper usum fuisse; jam a multis annis alvus facilis et mollis, imo quandoque frequentior.

Sumpsit emulsionem purgantem cum sale amaro et manna partitis vicibus; at nulla inde alvus, et major abdominis tensio; alvus, antea semper naturalis, neque ullo enematum genere nunc movebatur. Dedimus mixturam oleosam cum pauxillo camphorae; enemata emollientia et irritantia; cataplasma toti abdomini applicatum; nulla tamen alvus.

Mixtura oleosa cum pauxillo camphorae, et opio; aliquot ab assumpto hoc remedio parergico horis, alvus sponte movebatur, atque dolor et tensio abdominis disparuere.

Sub usu chamomillae, opii, et amaricantium plantarum intra paucos dies perfecte convaluit.

Historia morbi IV.

Pictor 25 annorum per duos menses, ab initio scilicet Aprilis, dolore rheumatico, manuum pedumque articulos occupante, et per vices redeunte, corripiebatur 18ma Maji 1777. His doloribus jungebatur dolor abdominis, appetitus depravatus, cardialgia, ut alvus pultacea inter dolores posita; nullus tamen amaror oris.

1ma Junii accessit dolor rheumaticus in regione pubis cum stranguria.

3ia in nosocomium susceptus. Dolores rheumatici articulorum pedum atque manuum, debilitas, vertigo, cardialgia, voritatio. Lin-

gua albido-flavescens, et pulsus ferme naturalis, Nullus interim coxendicis dolor, neque penis retrotractio, neque umbilici aut intestini recti introtractio. Mixtura oleosa cum drachmis iij arcani duplicati.

4ta Nox maximam partem tranquilla; dolor rheumaticus in regione hypogastrica paulo mitior; urinae difficultas eadem; os siccum, lingua impura; sitis insuper, et pectoris oppressio, Sumpsit haustum sequentem:

Rec. sal. amar. unc. 1*β*.

aquae. menth. unc. iij.

opii puri gr. 1.

M.

A meridie mixtura chamomillae cum granis V. opii et camphorae; decoctum emolliens pro potu ordinario.

5ta Nox inquieta; dolor articulorum mitior, in regione pubis aequa vehemens; stranguria vehemens et frequens; mane alvus semel posita; magna sitis, et lingua albida. Repetebatur mixtura chamomillae cum granis V opii et camphorae; et decoctum emolliens. Ceterum idem a meridie rerum status.

6ta Nox ferme omnis inquieta. Os amarum, vomituritio, stranguria, alvus dura cum tenesmo. Summa doloris rheumatici, artus et pubem occupantis, atrocitas. Lingua impura, et sitis. Arcani duplicati drachmae tres in mixtura.

7ma Nox tranquilla; alvus pridie 7es posita. Mitior nunc longe artuum dolor; urinae fluxus facilis et copiosus, dolor etiam in regione hypogastrica minor, et nulla nunc thoracis oppressio. Aliqua tamen vomituritio, lingua

impura, et flavescentia faciei color. Assumpto vomitorio bilem pituita mixtam vomuit, pingui pellicula supernatante. Sapor oris inde emendabatur.

8va Nox tranquilla. Alvus semel posita, minor sitis, modica adhuc urinae difficultas, dolores artuum longe mitiores, dolor autem in regione pubis omnis evanidus, superstite tantum murmure in abdomine. Sumpsit mixturam chamomillae cum opio et camphora, et decoctum herbarum emollientium. A meridie, cum symptomata biliosa iterum accederent, drachmae iij arcani duplicati in mixtura.

9mo De die nulla alvus, nocte vero praegressa bis posita. Somnus parcus, et inquietus. Magna per diem debilitas, borborygmi, lingua impura biliosa, at nullus ferme dolor rheumaticus. Vertigo. Arcani duplicati drachmae iij in mixtura. A meridie de calore potissimum et vertigine aeger conquerebatur.

10ma Pridie alvus semel posita, Nox tranquilla. Aeger nunc per omnia melius se habebat, aliqua capitum gravitate excepta; lingua impura. Mixtura cum sale medio et tinctura rhei aquosa. A meridie incaluit; alvus tamen nondum soluta.

11ma Noctu alvus semel posita. Minor nunc capitum gravitas; placide dormivit, et per omnia melius se habuit aeger; dolores tamen rheumatici, digitorum praecipue et in regione pubis per vices rediere. Mixtura cum sale medio et tinctura rhei aquosa. A meridie omnia in eodem statu.

12ma Nox quieta, repentinis terroribus subinde turbata. Alvus pridie quater posita,

noctu nulla. Calor et pulsus naturalis; nullus in regione pubis, et exiguis tantum digitorum dolor. Modica sitis, et facilis urinae fluxus. Temulentia tantum aliqua capitis, et dolor punctorius oculorum superstites. Mixtura cum tinctura rhei aquosa, grana VI camphorae, sine opio. A meridie idem rerum status.

13ma Gravitas et temulentia capitis, lingua adhuc impura, nullis interim dolores rheumaticis, et urinae facilitas. A meridie autem aeger de oppressione praecordiorum querebatur; fors ideo quod pridie comesto pane sicco frigidam hausisset. Arcani duplicati drachmae IV in mixtura, cum granis IV camphorae.

14ma Pridie nulla alvus, hoc mane autem semel posita. Minor capitis gravitas, ventriculi oppressio minor, urinae fluxus facilior, lingua purior, universim aeger melius se habuit. Mixtura chamomillae cum granis VI camphorae et opii.

15ma Nox quieta. Pridie alvus bis, hoc mane semel posita. Lingua pura, sapor bonus, et nullus dolor rheumaticus. At sensus pressi ventriculi, et appetitus dejectus. Nulla temulentia, mixtura chamomillae cum granis V camphorae, sine opio. Hora tertia pomeridiana aeger horripilatione et tremore totius corporis corripitur, sucessit cephalalgia et calor per totam horam durans. Omnia reliqua symptomata colicae saturninae disparuere. Mixtura cum drachmis tribus arcani duplicati.

16ma Nox inquieta. Pridie nulla alvus, hoc mane ter posita; appetitus prostratus, temulentia capitis, pressio regionis hypogastricæ; sitis

sitis magna et debilitas. Mixtura cum drachmis iij. arcani duplicati.

17ma Nox tranquilla. Die praegressa nulla alvus, hoc mane ter posita. Debilitas, modicus sudor, et rari artuum dolores; at lingua impura, et flavescens adhuc faciei color. Mixtura cum drachmis iij. arcani duplicati. A meridie nullus paroxysmus febrilis.

18ma Alvus usque ad hoc matutinum tempus 7es posita. Nox quieta, et aeger per omnia melius se habuit. Mixtura cum sale medio, et tinctura rhei aquosa.

19ma Nox sat quieta. Pridie alvus bis, noctu autem semel posita. Hac die symptomata colicae saturninae et colluviei simul biliosae magis manifesta. Facies flavescens, lingua albida flavescens, et pituitosa. Conquerebatur de doloribus rheumaticis capitis, pedum, et manuum praecipue continuis, certo tempore exacerbatis. Oppressio ad scrobiculum cordis, nausea, et vomituritio. Pulsus, qualis in colica pictonum esse consuevit. Drachmae 10 salis amari in unciis ij. aquae; alvus inde octies soluta.

20ma Nox tranquilla; omnia symptomata mitiora; naturalis faciei color rediit; Mixtura cum sale ammoniaco.

21ma Nox perfecte tranquilla. Pridie alvus semel posita; omnia symptomata et biliosae colluviei, et colicae saturninae disparuere excepto modico dolore reumatico, quem subinde in digitorum articulis sensit. Eadem mixtura.

22ma Levamen perstebat, neque de ullis amplius doloribus conquerebatur. Indicatio itaque a juvantibus desumpta.

23ma Perfecte sanus nosocomium reliquit.

Erat haec colica saturnina cum alio adhuc morbo, biliosa scilicet totius corporis labe, conjuncta; hinc illa linguae, faciei, et oculorum flavedo; hinc etiam purgantibus, vomitoriis, et salibus mediis colluvies haec biliosa e corpore erat eliminanda.

Haec autem biliosae labis cum colica saturninae complicatio dupli ex causa contingit. 1 ob spasmos abdominis, quibus secreta bilis iners redditur, atque in abdomen et intestina effunditur; 2 ex vitio epidemico; omnes enim colica saturnina laborantes, labe simul biliosa afficiuntur: Cum insuper alvus morosa sit, corruptae faeces in intestinis accumulantur; hinc purgantia indicantur, quibus autem opium jungere oportet, ut eo certius alvus ducatur.

Historia morbi V.

Pictor 25 annorum, semper sanus, at facie pallido-flavescente, ante tres menses frigore per vices recurrente, horripilatione, calore, artuum dedolatione, dolore punctorio totum sinistrum brachium occupante, respiratione difficiili, leni contorsione umbilici et abdominis, atque cardialgia corripiebatur; paralysin quoque digitii indicis et pollicis brevi transeuntem sentiebat. Frequens et sicca tussis, sensus doloris sub sterno, et dura alvus. Vena secabatur; bihorio elapso omnia symptomata mitiora, et sensim disparuere, at post octo dies majori cum vehementia redierunt; respiratio praesertim asthmatica; omnia tamen haec symptomata post tres horas sponte disparuere.

Saepius rediit paroxysmus, at cum aeger intra tres menses quinques venae sectionem institueret, mitior semper, et longiori intervallo.

12ma Junii 1777 valde debilis nosocomium accessit. Valida thoracis oppressio, sibilosa et asthmatica oppressio, vertigo. Mixtura ex uncisi V aquae chamomillae opii et camphorae granis viij.

13ma Pulsus minus durus; at in morbi decursu saepe vibrans, et durior. Alitus jam a biduo nulla, hac vespera autem parca et dura. Quinques sponte bilem vomuit, magno pectoris levamine subsecuto: at gravitas capitis, stranguria, et levior cardialgia accesserunt. A meridie caput liberius; at dolores colici per totum abdomen, et alitus tota die obstructa.

14ma Nox inquieta et ferme insomnis; eadem urinae difficultas. Mitiores interim dolores colici. Caput minus grave, sapor tamen oris bonus, lingua modice albida, pectus sat liberum, pulsus naturalis, at alitus obstructa. Opii et camphorae aa gr. viii. in unc. V. mixturae chamomillae; Decoctum emollientis pro potu ordinario.

15ma Cum nulla hucusque alitus posita, gr. 1½ opii cum unc. 1½ salis amari in unc. ii aquae fontanae pro haustu: Quater inde alitus posita, magno cum levamine; caput et pectus inde libera, major tamen urinae difficultas, pulsus naturalis, et nulla amplius cardialgia. A meridie liberior respiratio, quam toto morbi decursu; appetitus, at lingua flavescens, ceterum bene se habuit, perstante tamen eadem urinae difficultate. Mixturae unc. IV. aquae chamo-

millae, cum elixirio visceralis temperati et syrupi chamomillae $\frac{aa}{aa}$ unc. i Extracti chamomillae, opii, et camphorae $\frac{aa}{aa}$ gr. V.

16ma Aliqua adhuc cardialgia, et lingua modice flavescentia, ceterum bene se habuit. Eadem mixtura, cum opii et camphorae $\frac{aa}{aa}$ gr. v. Tota die nulla alvus et urinae difficultas.

17ma Bene per omnia, major urinae facilitas, et thorax liber. Nulla alvus.

18ma Purgans superius dictum, unde alvus quater posita. Pectus bonum. Cum autem nondum plena urinae libertas esset, unciae adhuc IV. mixturae chamomillae cum unc. i elixiris visceralis et granis V. opii.

19ma Stranguria; alvus semel posita. Unc. VI. Elixiris visceralis cum opii et camphorae $\frac{aa}{aa}$ gr. IV.

20ma Alvus semel posita; urina copiosior, facilior.

21ma Modica adhuc stranguria.

22ma Per omnia bene se habens ad pristinos labores rediit.

Id quoque in hoc aegro notandum, dolores noctu fuisse exacerbatos. At primarum viarum affectione non magna incommoda tulit aeger, sed de difficulti solum et sibilosa respiratione conquestus est.

Ultimis morbi temporibus plena alvi libertas, assumpto licet opio.

Venae sectio breve tantum levamen attulit.

In morbi initio de anxietate pectoris solummodo conquestus est; reliqua colicae saturninae symptomata serius, sub usu opii camparuerunt; imo, omnia illa symptomata, quae aegrum,

ante usum opii, vexabant, illo assumpto brevi disparuerunt; nam quoties illum interrogabamus, semper affirmabat, se nullam capitis gravitatem sentire, sed omnes sensuum functiones esse integrimas.

Saepius purgantia salina opio jungere oportet, ut biliosas, acres et induratas faeces, quae alvo diutius adstricta accumulantur, e corpore eliminemus.

Historia morbi VI.

Pictor 35 annorum, 15es jam colica saturnina laborans, mense Mayo 1776 in eundem iterum morbum incidit; a chirурgo, purgante ex manna parato et enematibus, sanatus ad pristinos labores se recepit. Triduo post, cum malum recrudesceret, nosocomium S. T. adiit. Per quinque dies ibi commorabatur; at cum malum intra hoc tempus non esset sublatum, domum rediit. Altera mox die artuum omnium patalsyi corripiebatur, qua per 26 septimanas tenebatur, quin omnia a chirурgo praescripta remedia vel minimum levamen attulerint. Medicum tandem consuluit; remediis ab illo praescriptis, inunctione spirituosa et frictione artuum inferiorum mobilitas rediit, manente interim brachiorum paralysi. Durante hoc curationis tempore electricitas etiam tentata est, at malum inde potius auctum, quam imminutum. Mense Aprili thermas Baadenses adiit, quibus per 4 septimanas utebatur; fere perfecte sanus rediit, brachiis solummodo non ex integro sanatis. Continuavit per aliquod tempus priorum remediorum usum, et brachiorum tandem mobilitas

rediit. Mense Julio 1777 pristinos labores suscepit, eosque per 5 septimanas absque ullo incommodo tractavit. At 5ta Julii lacerantibus iterum doloribus brachiorum et crurum, absque colica tamen, corripiebatur. 6ta et 7ma omnia iterum bona; 9na et 10ma idem dolor rediit; atque hac ultima ab opera sua cogebatur desistere; dolores artuum, praecipue circa genua, magis adhuc lacerantes, et lacinians accedebat dolor ardens dorsi et lumborum.

11ma Nosocomium adit. Eadem dolorum ferocia; lingua valde flava, abdomen indolens, orina et alvus libera, pulsus durus et parvus. Mixtura chamomillae cum opii et camphora $\frac{1}{2}$ gr. 10.

12ma Somnus bonus, doloribus subinde interruptus: Mitiores nunc dorsi, lumborum, et artuum inferiorum dolores, superiorum vero iidem, ac heri. Nulla alvus. Jam a priori die stando tantum urinam mittere potuerat. Circa meridiem de vehementi ardore pectoris et regionis hypogastricae conquerebatur.

13ma Nox insomnis; cetera eadem ac heri. Mixtura chamomillae cum opio et camphora $\frac{1}{2}$ gr. XII. Cum a meridie eadem symptomata persistarent, dabatur mixtura ex unc. 1 β salis amari, unc. ij aquae communis, et gr. i opii. Alitus inde ter mota, cum insigni doloris colici levamine. Urina facilis. Pergebat in usu mixturae et opii.

14ma Os pituitosum, urinae difficultas, et subitanea inter mingendum suppressio. Aliquis adhuc in regione hypogastrica ardoris sensus. Idem purgans et enema, at nulla inde alvus. Utrumque brachium debilius, manus vero utra-

que paralytica. Idem ardoris sensus. Mixtura chamomillae cum granis XII opii.

15ma Abdomen bonum, at brachia debiliora; urina difficultis, vesperi autem liberior. Hac die sponte absque purgante remedio aut enemate alvum aliquoties posuit.

16ma Duplo minus opii assumpsit; at alvus tota die obstructa. Ardor totius corporis rediit. Sera vespera mixtura chamomillae cum opii et camphorae ana granis 12.

17ma Nox bona. Dato enemate alvum magno cum levamine posuit. Aliqua adhuc manuum debilitas, urina libefior, et ardor minor. Mixtura chamomillae cum opii et camphorae aa granis XII.

18ma Nox quieta; mane iterum aliquis ardor; lingua biliosa, et os pituitosum. A meridie sal amarum absque opio, et enema; alvus inde soluta.

19mo Nox bona; aliquem tamen, cum se moveret, in abdomine dolorem sentiebat. Os et lingua glutine quasi obducta. Hinc omnis cura a regnante tunc constitutione pituitoso — biliosa desumebatur. Dabatur mixtura cum drachmis iij β arcani duplicati, drachma i β salis ammoniaci, et drachma i tincturae castorei. Alvus aliquoties inde solvebatur, et nullum amplius dolorem sentiebat.

20ma Prior mixtura salina cum tinctura castorei repetita; solvebatur alvus, nullus dolor, et minor manuum debilitas.

20ma Nullus omnino dolor. Etsi manibus nunc uti potuerat, nondum tamen sufficiens illarum robur aderat. Aeger nosocomium reli-

quit, antequam perfectam sanitatem recuperasset.

Ab electrica machina paralysis in hoc aegro augebatur; thermae Baadenses levamen tulerunt.

In initio plumbum dolores rheumaticos sine colica produxit, haec enim serius demum accessit.

Opium prius exhibendum est, deinde primum purgantia remedia danda sunt.

Vidimus in hoc aegro alvum a largiori dosi opii sponte solutam, et eadem ratione, qua haec dosis minuebatur, obstructam, ut nec a sale amaro exhibito moveretur.

Hac anni tempestate colicae saturninae, cum colicis biliosis, universim, cum labore biliosa conjunctae erant, hinc duplex medela requirebatur, quod tamen in hoc casu perdifficile erat. Opium enim bili inimicum, et tamen ad colicam saturninam necessario requiritur; haec autem purgans remedium non fert, illa vero etiam postulat.

Plures colicae saturninae hoc anni tempore se mihi obtulerunt, quas ob temporis angustias litteris mandare non potui. Hae omnes cum biliosa et pituitosa labore conjunctae erant, et remedia solventia, emetica et purgantia, interpositis largis opii dosibus, requirebant, Quasdam colicas saturninas solis remediis antibiliosis, absque opio, sanavi, et nisi dolores urgebant, eandem, quam colicis biliosis, medicinam feci. Eadem aestate plures colicas saturninas pro biliosis habuissem, nisi pulsu tardo, duro et vibrante, qui in colica saturnina solemnis est,

fuissem admonittis, etenim ipsa biliosa colluvies
vim venenatam opii, ut videtur, obtundit.

Historia morbi VII.

Vir 62 annorum a viginti sex annis artem
pictoram exercens, saepius in vita graviter ae-
grotabat, atque ultimo ante 16 annos; nunquam
tamen ex colica saturnina decubuit. Plerumque
bis, etiam saepius per diem sponte alvum po-
suit. Jam a tredecim annis, quin causam ali-
quam resciret, nullum assumptorum saporem
habet. Ante octo septimanas, cum ceterum sa-
nus esset, de dolore regionis epigastricae per
vices redeunte conqueri coepit. Appetitus de-
jectus, alvus rara, dolores rheumatici artuum
et subinde dedolatio totius corporis. Oppressio
insuper pectoris, et dum per acclivia ascende-
ret, difficilis respiratio. Caput confusum et gra-
ve. Per 7 septimanas vomititio frequens,
nullus tamen vomitus. 7ma Julii ultimo alvum
posuit.

12ma Julii 1777 in nosocomium susceptus
est; mox cum intrasset, et priusquam ullum re-
medium assumpsisset, frequentes epileptici in-
sultus. Hac nocte grana IX opii exhibebantur.

13ma Nulla convulsio, somnus quietus,
alvus nulla, et cardialgia. Ab enematibus nul-
lum levamen. A meridie unc. 1 β salis amari
in unc. iij. aquae communis. Alvus inde ter-
cum levamine soluta.

14ma Idem ventriculi dolor. Vesperi, as-
sumpto sale amaro, mox convulsionibus, in
Iethargum abeuntibus, corripitur. Mixtura cha-
momillae cum opio et camphora, resuscitatus.

15ma Mane convulsiones rediere. Idem remedium exhibitum. In lethargum iterum incidit, cum respiratione valde tarda et stertorosa: Pulsus fortis, plenus, durus. Secta vena, sanguis absque crusta; circa meridiem mors.

Caput, me inscio, aperiebatur, ut nulla mihi nunc esset investigandi occasio.

In abdomen intestinum colon multo aëre distentum et vesicula fellea tenui, flavescente bile turgida.

In cavitate thoracis humor vere biliosus, flavus, chartam scriptoriam colore flavo tingens, et ab illo, in vesicula contento humore, in eo tantum, quod multo tenuior esset, discrepabat. Omnia intestina bile tincta; cetera omnia sana.

Historia morbi VIII.

Juvenis 17 annorum, tertio nunc anno pictoriae artis tyro, jam mense Octobri elapsi anni, prima vice ex colica saturnina decubuit, a chirурgo sanatus. Ab illo tempore sat bene se habuit, ad ultimas usque ante suum in nosocomium nostrum adventum septimanas, cum scilicet pressionem ventriculi, et frequentem vomitionem conquereretur.

16ma Julii 1777 hora 8va matutina valido frigore, dolore abdominis, et respiratione difficiili corripitur. Hora 1ma a meridie calor, et dolor abdominis perstabat. Alvus bis posita. Somnus noctu bonus, doloribus ventris subinde interruptus.

17ma Appetitus dejectus; frequens dolor colicus; respiratio difficilis. Calor incerto tempore rediens. Semel bilem vomuit, alvum bis posuit. Nox priori magis tranquilla.

18ma Mitiores dolores colici. Vix ulla respirationis difficultas, et lenior cephalalgia. Alvis bis positā. Extra lectum laborabat. Somnus bonus.

19ma Nosocomium adiit. Dolor capitis et abdominis intensor. Sitis, lingua albida; pulsus plenus, fortis, durus.

Mixtura salina, dein emeticum; dein iterum salia, et tandem remedia ventriculum roborantia; atque ita absque opio convaluit.

Juvenis hic terendis pigmentis, et cerussae potissimum terenda operam impedit.

Pulsus admodum durus et vibrans erat, qui tandem talis, qualis in colica saturnina esse solet, evasit.

Cum pictores plerumque alvum obstructam habeant, venenum plumbi a bile quasi involvi, et obtundi, verosimile est: Bilis autem ipsa colicam biliosam producit. Hinc colica saturnina, tempore aestivo, regnante constitutione biliosa, singularem curationem requirit.

Historia morbi IX.

Pictor 40 annorum, ante aliquot annos ex colica saturnina decumbens, operaे huic, cura convalesceret, valedixit, at eandem ob res angustas denuo resumpsit mense Mayo 1777.

Inchoante Octobri de doloribus artuum rheumaticis conqueri coepit; alvis subinde dura, et leviores dolores colici.

Elapsis octo diebus nosocomium adiit. Conquerebatur de febre omni vespere exacerbari solita; leviori colica, et doloribus artuum rheumaticis. Pulsus, qualis in colica saturnina esse

solet, scilicet vibrans, durus, et quasi chorda ferrea tensa; in reliquis enim colicae speciebus pulsus potius parvus et obscurus observatur.

Dabam remedia salina, leniora purgantia ex manna, et tandem emeticum. Tremens adhuc et debilis, me invito, domum rediit. Nullus equidem dolor aderat, neque febris; at pulsus colicae saturninae solemnis, et malus corporis habitus.

Domi suae pristinos labores suscepit; post aliquot dies levior dolor abdominis rediit, subinde ardoris sensum excitans; accessit rheuma artuum, sudores nocturni valde copiosi, ut 2—3 vicibus linteamina mutare cogeretur. Ceterum extra lectum degit.

23ma In nosocomium rediit. Mox, ubi per scalas ascendisset, in lectum se projicit, et insultu epileptico corripitur. Insequitur apoplexia, convulsionibus epilepticis interpolata. Deglutitio abolita; et eadem adhuc die mors apoplectica.

Dissecto cranio omnia vasa cerebri solito turgidiora. Reliqua sana.

Etiam thorax sanus, praeterquam, quod sinister pulmo pleurae accretus esset.

In regione abdominis ventriculus ingentis magnitudinis; intestinum jejunum, et magna pars ilei obscure rubescens, et summe inflammatum; coli transversi curvatura multis duris, scybalosis foecibus repleta; fellea vesicula vacua; cetera sana.

Constitutione anni inflammationibus amica, facilis est enteritidis cum colica saturnina conjunctio, atque haec intestinorum inflammatio primam medentis curam requirit.

Colicas saturninas genuinas, atque illas etiam, quae biliosa labe commixtae sunt, plerumque facilis negotio curamus; at illae saturninae colicae, quae partim inflammatoriae, partim biliosae indolis sunt, difficillimae curationis sunt, scilicet tribus his causis seorsim agentibus.

Historia morbi X.

Operarius 40 annorum, potator strenuus, quatuor circiter annis apud figulum terendo in subtilissimum pulverem lythargirio operam impedit. Hoc tempore saepius doloribus colicis vexabatur.

Per quinque dies, antequam nosocomium adiret, abdomen leviter tympaniticum. Conquerebatur de saevis doloribus colicis; vomuit aeruginosa; nulla alvus, atque summa anxietas; extra lectum nihilominus degebat.

Quinta morbi die, 8va Decembris 1777 in nosocomium susceptus. Mixtura salina uno haustu sumenda. Decoctum hordei cum melle, et enema. Vespera emeticum; magna copia sordium biliosarum *avw κατ κατω* cum insigni aegri levamine.

9na Decembris sal amarum et manna in decocto altheae per vices assumendum. Alvus inde facilis, et vix aliquis abdominis dolor. Pulsus ad hoc usque tempus a naturali vix diversus; lingua albida; nullus calor, neque ullum praesentis febris signum. Attamen inquietus, et abdomen tumidulum, et modice tympaniticum, a rudiori tamen etiam attactu haud dolens. Extra lectum degens obambulabat.

10ma Absque convulsionibus, subito moritur et inopinata.

Dissecto cranio magna copia aquosi laticis sub membrana arachnoidea apparuit, atque omnia vasa cerebri a sanguine turgebant.

In regione abdominis omentum semi-inflammatum; et tenuum quoque intestinalium inchoans inflammatio, vesicula fellea a crassiori bile distenta, et adjacentia quoque viscera a bile tincta; cetera omnia sana.

Historia morbi XI.

Figulus 50 annorum ab aliquot annis doloribus colicis saepius vexabatur, qui tamen facile disperebant, si alvus aut sponte aut absurto purgante aliquoties moveretur. Ceterum bene se habuit.

5ta Decembris 1777 idem dolor colicus per vices, atque intensior rediit; alvus parca et scybalosa; somnus parcus.

6ta Omnia pejora; dolor magis contorquens et scindens, alvus magis obstructa, et aeger laboris impos lecto decumbere cogebatur. Vespera vomuit assumpta, dein biliosa; rediit aliquoties vomitus; nox insomnis.

7ma In nosocomium venit; de atroci abdominis dolore conquerebatur; lingua impura, et assidua vomitritio. Vomuit tandem. Ob doloris ventrem contorquentis vehementiam in lecto sese jactitabat; abdomen tumidum, et ab tactu dolens; alvus nulla; pulsus plenus, fortis, durus. Mixtura saliva. Nox insomnis.

8va Eadem, quae heri. Emeticum; ma-

gnam inde bilis copiam vomuit, alvus aliquoties mota, magno cum levamine; somnus parcus.

9na Purgans ex manna. Circa meridiem umbilicus introtrahitur, dysuria, tensio regionis hypogastricae; aeger inquietus; somnus vix ullus.

10ma Idem rerum status. Decoctum emolliens cum nitro, et venae sectio. Sanguis crusta inflammatoria tectus. Circa meridiem alvus aliquoties mota, insigni cum levamine.

Continuato per aliquot dies remediorum emollientium usu aeger perfecte convaluit.

Compositus erat hic morbus ex colica saturnina et colica biliosa, bile tamen praedominante. Hinc ab opio abstinui, utpote bili inimico, sed emeticum, et purgantia exhibui.

Doloris pertinacia, anni tempus ad inflammationem proclive, et sordium in intestinis tentarum acrimonia venae sectionem, emulsiones nitrosas, universim, methodum antiphlogisticam requirebant.

Erat itaque hic morbus, *colica saturnina biliosa*, in inflammationem intestinalium tendens.

Historia morbi XII.

Pictor 23 annorum coloribus parandis operam impendens, antea sanus, anno 1775 ex colica, praegressa vomituritione, singultu, et ructuum explosione, decubuit. Rediit haec colica trium annorum spatio sexies circiter, atque ex ultimo morbo in nosocomio Fr. Misericordiae sanabatur; remanserat tamen dolor obscurus manum, etsi is interdiu tantum aegro molestus esset. Durabat hic sanitatis status usque

15mam Nov. quo die elapso dolor ille in manuum et digitorum tumorem mutabatur, ut aeger tenendo penicillo impar esset; rigebant manus, et aeger viribus omnibus exhaustus ferme exanimis erat. Ita ferme res se habuit usque ad medium mensem Februarii. Sequentibus tribus septimanis accessit dolor abdominis nocturno tempore exacerbatus, alvusque rara; temulentia capitis, subinde gravitas, visus debilitatus, appetitus dejectus, et per octo dies vomituritio, subinde tenesmus, alvo licet rara; urina libera; dolor ex dextro latere in sinistrum, inde in pedem utrumque, et tandem per universum corpus migrabat. Respiratio difficilis, pectus oppressum. Haec symptomata ad 7mam usque Martii durabant; hac die vinum calidum assumpsit, iterumque evomuit.

8ma Martii in nosocomium venit. Gravitas capitis; facies flavescentia, lingua albida et pituitosa; pulsus tardus, vibrans, ferme durus. Dextrum brachium sinistro paulo macrius, atque tertium os metacarpi super reliqua aliquantum eminebat. Abdomen molle, et habitu externo naturale; at interne dolor scindens, ardens, contorquens; alvus nulla. Crura ab attactu dolentia, somnus turbatus, vomituritio. Remedia solventia et eccoprotica.

9na Martii omnia in eodem statu, testiculorum insuper et glandis penis retractio. Vomitus, qui pridie primo accesserat, 10es repetitus biliosam et porraceam saburram climinabat. Ad vomitum hunc sistendum mixtura ex aqua chamomillae unc. VI, syrup. chamom. unc. 1 β , extracto chamomillae dr. β , et extract. hyoscyami gr. x. Pro potu ordinario decoctum altheae cum

eum syrupo diacodii. Serius omnia in eodem statu; pulsus tamen paulo mollior, et minus fortis. Decubitus in utroque latere difficilior, et nox insomnis.

10ma Omnia in eodem statu, et alvus nulla. Efficacius remedium paregoricum exhibebatur; huic gr. x. opii in mixtura chamomillae. Cum autem vespera sponte biliosa vomeret, et os amarum esset, opiatu seposito, vomitorium datum, dein iterum opium exhibitum. Vomuit bilem et pituitam magno cum levamine; urina flava, ictericorum more; ab enemate, etsi ac riori, nulla alvus. Nox melior.

11ma Omnia meliora. Alvus nulla, urina eadem quae heri, et capitis temulentia. Mixtura repetita, et vespera unc. 1 β salis amari. Noctu alvus g̃es posita; minor doloris vehe mentia.

12ma Magnum levamen. Mixtura chamomillae cum opio; vespera enema. Alvus noctu soluta, dolores mitiores; urina viridescens.

13ma Vix ullus dolor. Mixtura eadem.

14ma Eadem mixtura. Vespera sequens remedium exhibitum.

Rec. Aq. chamom. unc. vj.

syr. chamom. unc. 1 β .

Arcani dupl. dr. vj.

Opii pauci. gr. vj.

M.

Sumat omni 4hor. sextam hujus misturae partem.

15ma Aquae menthae unc. iij. salis amari unc. 1 β , syrapi menthae uuc. 1. pro haustu; 8. vicibus mota alvus.

16ma Nocte praegressa dolores subinde ar-

Pars VI.

G

tuum; os pituitosum. Ad eliminandas pituitosas colicae reliquias ob alvum obstructam collectas, decoctum graminis, taraxaci, cichorei, cum arcano duplicito.

17ma Nullus fere hac nocte dolor. Idem decoctum.

18ma Idem morbi status. Frictiones roborantes siccae artuum.

25ma Bene se habet. Decoctum herbarum amaricantium; inde perfecte convaluit.

Notandum hic, illa colicae saturninae symptomata, quae in hoc casu remediis obvolventibus et opio sanabantur, probe distinguenda esse ab illis, quae ab alvo obstructa, aut ab ipso opio, aut a protracto remediorum involventium usu oriuntur.

Ut adeo opii usus non semper et ubique innocuus habendus sit.

Historia morbi XIII.

Pictor 36 annorum spatio 13 annorum bis, nempe ante 4 et ante 6 annos ex colica saturnina in nostro nosocomio decubuit; 24ma Aug. 1776 iterum ad nos venit. Ab ultimo morbi hujus insultu, ex salutari medici consilio, quotidie mane panem butyro oblinitum comedit, atque ita sanus vixit, usque dum ante 14 dies colica, et praecipue contorquente dolore circa regionem umbilici corripiebatur; urethra insuper retracta, absque difficultate tamen aut ardore urinae. Diarrhaea insuper cum vomitu, per vires redeunte, atque aeruginoso. Nullum tamen artuum rheuma, neque ullus ardoris sensus in ulla corporis parte. Vomitus et diarrhaea se-

quentibus etiam diebus continuarunt, dolore tam
men contorquente abdominis per vices remit-
tente. Ante tres dies repente, absque gravitate
aut debilitate artuum praegressis, dolore scin-
dente in utroque brachio, manu, et digitorum
articulis, atque illarum partium paralysi repente
corripitur. Utrumque genu idem dolor occupat,
ut aeger equidem sedere, non autem pedibus
insistere valeret. Ultima ante adventum suum
die alvum semel posuit, bis autem vomuit; cum
in nosocomium esset susceptus, os erat amarum,
etsi lingua haud multum impura esset. Respira-
tio libera; nulla cardialgia; at dolor contorquens
circa umbilicum, dolor et paralysis artuum.
Pulsus naturali celeritate, at durus; calor haud
praeternalis. Mixtura oleosa cum camphora,
et decoctum emolliens.

Alvum aliquoties sponte posuit, dolor ab-
dominis intra triduum, cum mixturam oleosam
cum camphora sine opio assumeret, penitus
disparuit; utroque autem brachio paralyticus
evasit. Utramque manum et genua idem dolor
vexabat. Pulsus durus, et arteria, tensae ad
instar chordae ferreae, vibrans.

28ma Mixtura chamomillae cum granis IV
opii; et eadem adhuc vespera aeger aliquam
brachiorum mobilitatem sentiebat, ut sibi jam
de reddituro artuum usu gratularetur.

Cum opium, ut in multis aegris vidimus,
alvum pertinacissime clausam, neque ullo re-
medio aperiendam, solvit, atque alvus etiam
continuato opiatorum usu non raro sponte mo-
vetur, in mentem mihi venit, an non opium,
quod illum quasi tetanum et paralysin intestino-
rum solvere poterat, etiam in illa artuum para-

lysi, quae non a vera partium ad motum requisitarum relaxatione, sed a spasmodica potius illarum constrictione oritur, efficax pariter remedium esset? Neque eventus spem meam fefellit;

Sequenti die opii et camphorae aa gr. VI. in mixtura chamomillae, et decoctum herbarum emollientium. Mirabilis plane vis plumbi, quod alioquin stupefaciendo et contrahendo agit, at tamen tam vehementes spasmos in corpore excitare valet! At non minus mirabilis opii vis est, quae utpote relaxans, in hoc tamen casu laxis et paralyticis artibus novam vitam tribuit.

Ut opii usus eo tutius possit protrahi, veneae sectio ad uncias vj instituta; sanguis crusta tectus.

Sequenti die mixtura oleosa cum opii et camphorae ana gr. vj; enema, et decoctum emolliens pro potu ordinario.

2da Septembbris dextrum brachium, etsi cum aliqua difficultate, elevari poterat. Ceterum neque comatosum quid, neque ulla gravitas capitis ab usu opii. Hac die camphorae et opii aa gr. viij in mixtura oleosa sumpsit.

Opii p^ra camphora, in roborandis nervis, et solvenda paralysi, efficacia ex alio itidem casu patet, ubi largus et protractus camphorae usus, figuli, ex colica saturnina paralytici statum, nec vel minimum emendabat.

3ta Membra paulo liberius movebat. Opii et camphorae aa gr. viij. Alvus quinquies mota, copiosa, prima vice dato enemate, reliquae 4 sedes vespera sponte.

5ta Eadem opii et camphorae dosis in mixtura chamomillae. Tota die optime se ha-

buit, neque somnolentia, neque ulla capitis gravitas. Facilis membrorum motus, noctu autem per vices delitum. Sequenti mane eadem mixtura absque opio; et tota die somnolentus, et alta voce excitatus tarde ad interrogata respondens. Artus equidem movebat, at cum difficultate. Venae sectio; sanguis crusta inflammatoria tectus; emulsio nitrosa. Altera die caput serenum, nullus in toto corpore doloris sensus, artuum autem, quae vix inchoaverat mobilitas, iterum deleta.

Solus nunc artuum sensus superstes. Emulsio nitrosa continuatur.

9na Opii iterum et camphorae $\frac{1}{2}$ gr. iij. in mixtura chamomillae. Vespera, solerti instituto examine, an aliquod symptoma ob opio produci solitum adesset, nullum omnino deprehendebatur. Brachia quoque aliquantum elevabat, quod mane non poterat.

10ma Mixtura chamomillae cum camphora absque opio. Brachia aegro expedita magis et leviora videbantur.

23mo Brachia modice et difficulter movebat. Hucusque ob genuum impotentiam neque obambulare, neque, cum surrexerat, solus se pedibus sustinere erectum poterat, nunc autem solus e sella surgebat et obambulabat. Hucusque quotidie grana v camphorae in libris ij. emulsionis sumpserat; hodie camphorae scrupulum unum in eadem emulsione,

30ma Mixtura chamomillae cum scrupulci camphorae.

31a Octobris electricitas tentata; absque levamine.

5ta Sequentibus pillulis uti coepit:

Rec. Sapon. Ven. unc. β .

G. ammon.

Camphor. $\frac{1}{2}$ dr. ij.

Castorei dr. β .

Syrup. menth q. s. m. f. pil. gr. ii.

Sumat sexies de die iij. cum sequenti infuso:

Rec. Flor. atnicae.

— — chamom. $\frac{1}{2}$ man. β .

Inf. c. 5 qu. aquae commun. Colat.
lib. ij. adde.

Syr. menth.

— — fl. chamomillae $\frac{1}{2}$ unc. i

8va De doloribus iterum articulorum et pondere dextri brachii conquerebatur, emulsio cum dr. β . camphorae; at aeger tardae sanatio-
nis pertaesus e nosocomio discessit, cum ma-
lum hoc largioribus camphorae dosibus oppu-
gnare animus esset.

Historia morbi XIV.

Figulus 24 annorum per septem circiter
menses lythargirio ad incrustanda vasa terrea
utebatur.

Altera jam septimana dedolatio omnium
artuum, et per vices dolores colici. Biduo post
carnem suillam comedit, et hydromel largiter
hausit; dolores evanuere, et bene se habuit.

Apparens haec sanitas patuos tantum dies
durabat; dedolatio et dolor colicus rediere, is-
que assiduus, subinde vehemens ac contorquens,
ac si intestina in globum convoyerentur; ab-

domen subinde intumescens mox iterum col-
lapsum, durum, et umbilicus introtractus. Pu-
denda aegro subinde increscere videbantur,
scrotum enim et penis intumuere. Alvis ob-
structa. Subinde vertigo caliginosa; calores va-
gi, horripilatio, et tremor artuum. Urina diffi-
cils, parca et ardens; ab hoc tamen incommo-
do aeger largiori haustu hydromellis se liberare
solebat.

Atque ita plus minusve aegrotabat, quo
saepius hydromelle uteretur.

Ante quinque septimanas alvis per totum
octiduum obstructa, penis cum dolore retractus,
et ardens urinae stillicidium. Frustra alvum ja-
lappa, scammoneo, et repetito enemate resera-
re tentabat; larga tandem hydromellis potatione
alvum intense flavam duramque magno cum le-
vamine sponte posuit.

Ab illo tempore unicum tantum paroxy-
mum, eumque leviorem habuit, quem solito
suo remedio, hydromelle scilicet, sopiebat.

23ma in nosocomium venit. Valida artuum
dedolatio; dolor contorquens in regione umbi-
lici, per vices exacerbatus, et a biduo inten-
sior; abdomen tumidum et tensum. Umbilicus
introtractus; sensus, appetitus, et sapor bonus;
alvis per quatuor dies nulla; semel biliosa vo-
muit. Nox enema iniectum; cum nulla alvus
sequeretur, sequens opiatum.

Rec. Aqu. fl. chamomill. unc. vj.

Opii.

Camph. $\frac{aa}{aa}$ gr. x.

Syrup. chamomill. unc. i

Omni quadrihorio sexta pars assumenda.

Circa vesperam eadem ferme dolorum ve-

hementia, umbilicus tamen minus introtractus; minor quoque abdominis tumor et tensio; nulla tamen alvus, et magna urinae difficultas et ardor; somnus turbatus, parcus.

24ma Mane dolor abdominalis aliquantum remissior; alvus tamen adhuc obstructa:

Datum est sequens purgans:

Rec. sal. amar. unc. 1 β .

Opii puri gr. 1

Aqu. menth. unc. iii.

Alvus inde dura, nigra, et parca; semel vomuit; reliqua eadem.

Circa tertiam pomeridianam insultu epileptico corripitur, aliquoties redeunte, donec tandem in profundum somnum incideret. Elapsis circiter octo minutis aeger ad se rediit; alvus nulla, urinae ardor.

Inijciebatur mox enema acre, et sequens mixtura exhibita:

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v.

Extract ——— dr. 1

Opii puri

Camph. $\frac{1}{2}$ gr. xij.

Syrup. chamomill. unc. 1

Omni quadrihorio sextam partem hujus mixturae assumpsit.

Balneo insuper calido ex aqua fontana immitebatur. Inter insidendum urina sponte copiose fluxit; alvus pertinaciter clausa permanxit. Aeger somnulentus evasit, facies torva; pulsus plenus, fortis.

Mox a balneo vena secta; sanguis indolis sanorum. Sera vespera ab enemate alvus copiosa; urina libera, subinde tamen inter mingendum ob ardorem retenta. Somnus noctu parcus, et insomniis turbatus.

25 Minor somnolentia; abdomen minus dolens, et mollius; caput liberum, major pulsum mollities, et urina absque ardore et difficultate missa. Purgans sequens:

Rec. Sal amar. unc. i β.

Opii pur. gr. i

Aqu. menth. unc. ij.

A meridie qes copiosam alvum posuit aquosam, viridem, semel pituitam vomuit; bis urinam limpidadam, copiosam absque incomodo misit. Inde tensio, tumor, et dolor abdominalis imminutus, umbilicus minus introtractus, et somnolentia disparuit. In dextro autem thorace erosionis quasi sensus, magna artuum dedolatio, in sinistro simul inguine, et in toto dextro latere dolor quasi rheumaticus. Eadem mixtura chamomillae cum camphorae et opii aa gr. XII.

26ma Saepius urina mittebatur ardens; at parca; dolor rheumaticus et ardor sinistri thoracis perstabant; abdomen tumidulum; caput liberum, appetitus et pulsus naturalis. Mixtura prior continuata. Nox tranquilla.

27ma Caput liberum, sensus exulcerationis idem, abdomen ferme indolens, et umbilicus vix amplius introtractus. Appetitus bonus, sapor non depravatus. Lingua modice flavesrens, urina paulo facilior, alvus nulla. Eadem mixtura. Vespera, ab enemate et purgante exhibito, alvus copiosa, mollis, viridescens; urina copiosa, libera absque tenesmo; abdomen indolens, nulla umbilici introtractio, nulla tensio. In utroque inguine dolor, attactum non ferens. Nox tranquilla. Idem remedium.

28ma Aeger per omnia sat bene se habuit; dolor thoracis et abdominalis nullus; urinæ liber-

tas, pulsus naturali paulo celerior. De aliqua siti, modico calore, et de iisdem adhuc inguinum doloribus aeger conquerebatur. Versus vesperam ab enemate alvus mota, noctu autem aquosa dejectio: Eadem mixtura cum opio. Nox bona.

29ma Mane aquosa dejectio, urinae ardor, et quaedam difficultas; ceterum aeger bene se habuit. In sinistro annulo abdominis perparvus et dolens tumor apparuit; pulsus naturalis. A meridie alvus 10es sponte movebatur, cum insigni levamine abdominis, urina saepius missa absque impedimento. Tumor et dolor inguinum disparuere, pulsus naturalis, sitis nulla, appetitus. Eadem mixtura cum opii et camphorae ^{aa} gr. xij. Nox tranquilla.

30ma Nocte praegressa undecim aquosae dejectiones; de die alvus septies sponte mota; mictio frequens et facilis. Nulla ferme artuum dedolatio, appetitus validus.

Idem remedium. Nox bona.

1ma Julii Mane nulla alvus, a meridie autem bis sponte posita. Cum aeger per omnia bene se haberet, mixtura ex amaris et stomachicis remedii, additis x granis opii, praescribatur, cuius sextam partem omni quadrihario assumebat.

2ma Noctu nulla alvus: repetita mixtura stomachica cum granis vj opii: Inchoans virium restauratio.

3ta Grana v opii in mixtura. Alvus bis posita.

4ta Opii graua iv in mixtura; alvus ter sponte mota.

5ta Sanus domum rediit, viribus usu roborantium restitutis.

Multa in hoc aegro notanda sunt :

Primo Certum semper levamen a copioso mulsi (Meth) potu expertus est. An hoc ab analeptica, cardiaca, ineibriante mulsi virtute, qua, ad aliquod saltem tempus, opii vices explebat? an vero vis detergens mellis, mucum intestinorum solvendo, ad minimum partem quamdam stimuli saturnini alvo eliminavit? aut an potius utraque vis conjuncta ad dolores mitigandos concurrebat? quis hoc determinaverit?

Secundo Certe persuasus sum, illum graviter errare, qui insultum epilepticum, et secutam mox apoplexiā opio potius, quam spasmis abdominis, sanguinem versus encephalum urgentibus, adscripserit; alios enim aegros in nosocomio nostro vidimus, qui, priusquam ullum remedium assumpserant, convulsionibus correpti mortem apoplectam subibant; alii autem, lethargo et epilepsia correpti, non nisi assumpto opio sanabantur. Id tamen concedo, in hoc casu contractionem intestinorum nondum sublatam a remedio purgante auctam fuisse.

Tertio, patet ex cursu morbi, quod capitis affectio, auctis opii dosibus, continuo immunita fuerit, unde novum priori asserto momentum accedit.

Quarto, tum in hoc, tum in aliis similibus casibus obstructa et diu retenta alvus saepe drasticis etiam purgantibus non reserabatur, nisi largo et protracto opii usu spasmi intestinorum prius solvantur, quo facto alvus aut sponte, aut dato purgante aut applicato communi enemate movetur.

Quinto, Opii usus liberam alvi excretionem in hoc casu adeo non impediebat, ut eam po-

tius, ultimis praesertim diebus, cum opitum lat. gius exhiberetur, insigniter augeret, neque illa inde capitis perturbatio, sudor, ardor urens, aut alia symptomata, ab opio produci solita, animadvertebantur: ac si omnis opii vis in de lendo veneno saturnino fuisse consumpta.

Historia morbi XV.

Pictor annos 33 natus, spatio duodecim annorum undecies colicam saturninam perpessus est, absque paralysi.

A quatuor septimanis dolores in hypogastrio queritur contorquentes, primis octo diebus absque remissionibus continuos, postea per intervalla mitiores, noctu non graviores. Ardor a scapulis ad lumbos usque, auctus ad attactum, vehementior primo, nunc remissior. Ab octiduo brachia quasi ab rheumatismo insigniter dolent; torpor brachii dextri, et artuum reliquorum gravitas, ardor ad pubem. Nuper unius diei ischuria vexabatur, sponte soluta; nulla caeteroquin toto morbi tempore mictus molestia. Dolor premens ad infimum sternum; pulsus fortis, plenus, tardus, absque caloribus.

Initio morbi ea incommoda patiebatur, quae alias biliosam ventriculi illuviem notant. Ob eam rem potionem ex foliis sennae et manna confectam domi suae hausit, unde quinques viridia vomuit, et aliquoties dejecit. Melius inde habuit, appetit denuo; a scapulis ad lumbos usque, et abdomine mitius doluit. Alvis primis tribus morbi diebus strictior erat, exinde naturalis est, et quotidie respondet. Abdomen molle, umbilicus non introtractus, appetitus, sapor bonus, lingua medicotriter flavesiens.

Saturatum totius altheae decoctum, in quo aliquot unciae mannae intabuerunt, propinavimus; inde purgabatur ea nocte aliquoties cum omnium symptomatum levamine, subjungebantur emollientia sine purgantibus.

5ta Junii ad vesperam priora symptomata rediere, noctu graviora. Dolet totus anterior thorax, abdomen anterius ad pubem usque dolore vario, modo ardente, modo scindente, itemque subinde solummodo premente, aucto per intervalla. Alvus hodie nulla, brachia gravius dolent.

6ta Junii prioris diei symptomata perstiterunt, interdiu mitiora, graviora noctu. Sumpto decocto altheae cum manna, alvus mota aliquoties est; pectus bonum, abdomen melius, artus emendati.

7ma Junii praeterita nocte abdomen gravius, quam pridie, mitius tamen, quam aliis noctibus solebat, doluit. Pectus ea nocte per intervalla tantum infestabatur.

7ma interdiu bene habuit; sub initium noctis gravissimus in abdomine recrudescens dolor applicato emolliente cataplasmate mitigabatur.

8va Junii mane levis abdominis dolor; artus et pectus omnino emendati.

Hoc die, aut ulterioris medicationis impatiens, vel vero pristinos resumpturus labores, non confirmatus, ut familiam aleret domi penuria pressam, a nobis discessit.

Historia morbi XVI.

Juvenis annorum viginti et duorum, pictor, praeterito autumno febri continua laborabat, ex qua convalescens dyspepsia et vomitibus spontaneis a pastu tentabatur. Sublatum etiam hoc ventriculi vitium remediorum stomachicorum ope. A decem septimanis abdomine dolet continuo, sed subinde gravius. Auctis supra modum quodam die doloribus, nosocomium quodam petiit, ex quo brevi postea, ab intestinorum cruciatu non ex integro immunis, discessit. Obambulando aegrotabat, et ante ingressum in nosocomium, et post discessum suis semper laboribus functus.

A quatuordecim vero diebus alvus dura, a quinque vero diebus strictior; faeces nunquam caprillae.

A smo Junii dedolatio, nausea, dejectus appetitus, leves horripilationes calore fugaci interpolatae. Dolor circa umbilicum lancinans, noctu gravior; die sequenti dolor major; noctu increscens, vomitio spontanea, biliosa, viridis per intervalla, quae et sequentibus diebus recurrebat. Nunc artuum inferiorum pondus adest, lingua alba, os siccum, ructus non pravi, nausea tamen; non appetit, sitit; praecordiorum anxietas, pulsus fortis, durus, non celer; nulla paralysis, nulli dolores artuum quasi rheumatici, nec ardens mictus observabatur.

Datum altheae decoctum cum manna; injectus clyster oleosus; alvus nulla. Vomuit semel, pauca, assumpta. Remediis prioribus adjectum sal amarum est; cataplasma abdomini ad-

plicatum, et clysmata datum est; inde faeces multae cum levamine magno ejectae sunt.

Die 6ta gravitas artuum inferiorum emendatur; pulsus fortis, teusus, durusque; dolor in abdomen multo mitior. De brachiorum pondere, aut alio incommodo nunquam querebatur. Repetita eadem remedia sunt.

Die 7ma dolor ut heri; sed accedit superiorum artuum gravitas. Remediis hucusque adhibitis sequens mixtura jungebatur:

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v.

Extracti hyoscyami.

Camphor. aa gr. xij.

Syr. fl. chamom. unc. ij.

M.

Omni quarta hora partem sextam sumat; unde sexies alvum, cum magno levamine, et artuum omnium emendatione posuit.

Die 8va Junii levis per intervalla in abdome dolor supererat. Usus postmodum aeger opio et camphora est, ac die 15ta ejusdem mensis per omnia sanus discessit.

In hoc aegro noctes semper difficiliores fuere.

Curam habui, ne aegri citius, quam sanitas ex integro confirmaretur, a nobis abirent.

Historia morbi XVII.

22 Annos natus pictor ante quinque dies, cum pravo antea victu usus esset, semel etiam aestuante corpore perfrigeraretur, appetitum sibi imminui, flatibus infestari multis, et animo praeprimis deijci querebatur; dolor nullibi; alvus facilis. Post duos dies, hac ratione peractos,

pulverem digestivum vesperi, et sequenti mane purgans ex jalappa sumpsit. Quinquies purgabatur, sed caluit eo die, friguitque per vices; vomiturivit, et corpus quasi fustibus caesum questus est. Ea vespera accessere pedum crampi, et dolores eorundem tensivi. Ex eo alvus substitit; levis quoque brachiorum dolor, et digitorum per intervalla rigiditas supervenit; umbilicalis quoque regio doluit, moderate tamen.

Quarta Julii, praeter hucusque dicta, vomito crebra ingestorum spontanea, aeruginosa, et cardialgia urgebant. Ea nocte multum angabantur, et crura acerbius dolebant.

5ta Julii, cum ad nos venit, vomitus spontanei aderant, et alvus stricta, leves in abdome dolores, graviores in cruribus; summa lasitudo cum ardore cutis per sinistrum abdominis latus, a quinque diebus hucusque persistente. Non febricitat; ardorem in abdomen per intervalla queritur.

Aeger hic emulso purgante ex sale amaro et manna aliquoties propinato, cui semper aliiquid camphorae jungebatur, enematibus, et nervinis, usum purgantium interpolantibus, intra breve tempus convalescit.

Historia morbi XVIII.

Operarius 23 annorum cum suam pictori operam locasset, cerussam super marmor laevatum in pollinem perfrequenter conterebat.

Is ante 14 dies ventriculum sibi quasi conqueri sensit; mox fluere alvus cum levamine coepit.

A septem diebus dolor ventriculi per intervalla

valla gravior, ardens, contorquens; dolor quasi ischiatricus per externam femorum faciem, ad caput usque fibulae, decurrebat; mictus accessit stranguriosus. Brachia, p[re]ae immani eorum pondere elevare, aut cruribus insistere p[re]ae debilitate haud potest.

Die 19ma Julii sponte biliosa vomuit; alvum ab aliquot diebus difficilem experitur, nullum gustus vitium; lingua ex flavo albicans.

Die 20ma Julii datum emulsum purgans est, ex sale amaro et manna confectum, adjecto pauxillo camphorae: injectum acre enema, et propinatum decoctum est ex herbis emollientibus paratum. Alvus semel et parce mota est; dolor idem.

Altero die sequens mixtura praescribebatur.

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v.

Opii puri gr. iiij.

Camph. gr. iv.

Syrup. menth. unc. j.

M.

Cataplasma ex emollientibus herbis et chamomilla ventriculo applicatur. Idem decoctum, et enema idem. Alvus bis, et copiosior posita est. Urinae largior fluxus, et expers dolorum; ventriculus minus doluit.

22ma Vix ullus dolor superest. Alvus una, spontanea. Sumpsit postea sequentem mixturam.

Rec. Ol. amygd. dulc. recent et
frigide pressi unc. i β.

Vitelli ovi recent. Nro. i.

Aqu. fl. chamom. unc. vj.

Opii puri

Camphor. aa gr. iv.

Syrup. menth. unc. 1

M.

Die 33ma alvus unica, facilis secuta est; nullus dolor amplius.

Die 22ma caput obtusum est, ceterum bene se habet. Emulsum purgans.

Die 25ma Julii bene per omnia se habet. Datae dein pilulae sunt ex sagapeno, G. galbano, castoreo, et camphora, quarum usu intra exiguum tempus perfecte convalescit.

Historia morbi XIX.

Juvenis 19 annorum, pictor, ab aliquot jam annis aliquoties ex colica pictonum aegrotabat. Ante sex dies cardialgia, ventriculum et intestina per vices quasi contorquente, afficiebatur; vomituriebat simul, nauseabat, alvumque habebat diarrhaicam. Ante 4 dies alvus compressa sponte est, et acutus abdominis cruciatus. Accessit lassitudo omnium artuum, pondus grave, vomituritiones continuae.

Die 20ma Julii 1776 omnia, ut pridie.

Die 21ma ter sponte vomuit, flava, aeruginosa, acida, amara. Alvus stricta; mictus frequens urinae copiosae. Lingua pura, os mucosum, ructus sapore salino, vomituritiones, dolores ventriculi et intestinorum contorquentes, modo graviores, mitiores modo; pulsus pleni, fortes, duri, non febriles, eo et sequenti, quo ad nos venit, die observabantur.

Emulsum purgans, cui pauxillum camphorae jungebatur, ut cataplasma ad totum abdomen praescripta fuere.

23ma Alvus nulla; eadem omnia. Hinc mixtura oleosa cum opii et camphorae granis vj exhibutum.

23ma Praemisso heri opio et camphora injectus clyster oleosus alvum emollivit. Dolores primo nulli amplius, vesperi denuo redeunt, prioribus tamen multo mitiores.

25 Emulsum purgans cum pauxillo camphorae datum, et abdomen oleo chamomillae, cui camphora commiscebatur, inunctum est; inde alvus semel posita. Dolores exigui, et per intervalla recurrent.

Noces toto morbi tempore difficiliores fuerunt; subjungebatur mixtura oleosa; et dein alia ex aqua chamomillae, syrupo chamomillae et extracto chamomillae, qua per aliquot dies usus, et alvi libertatem, et pristinam ab omni abdominis incommodo immunitatem obtinuit, ac die 6ta Augusti sanus discessit.

Historia morbi XX.

30 Annorum pictor hoc anno binis vicibus ex colica saturnina decubuit. Ante 14 dies prima morbi symptomata comparuerunt; rheumaticus nempe crurum dolor, isque adeo gravis, ut vix incedere valeret. Dolor item in hypogastrio, vomendi conatus, vomitusque spontanei, biliosi. Ructus multi, flatulenti, absque alieno sapore. Oris amaror continuus. Nauseae, alvus difficilis, tensio in cervice. Urina facilis, copiosa, aquosa. Ante 12 dies purgante sumpto decies et quinques dejecit, ac vomuit ter, absque levamine. Ante quinque dies venam sibi tundi curavit; inde non levabatur. Ante tres

dies denuo, hausto pharmaco, alvum quinquies, et sexies vomitum movit. Inde vero cephalalgia corripi, et caput fieri temulentum coepit. Noctu inquies, insomnia, pavores. Lingua ad nos venienti biliosa fuit; non appetiit, vomiturivit, nauseavit. Anxietas, umbilici retractio. Dolor circa umbilicum lancinans, cum ardore hypogastrii per intervalla recrudescente; crurum rheumatismus. Alvus a biduo restitans enemate mota est, Pulsus pleaus, durus, naturali paulo celerior, absque calore praeter naturam. Urina libera, et sanorum instar.

Data enemata fuerunt, et adhibita cataplasma; decoctum emolliens pro potu erat. Propinabatur etiam emulsum mannatum cum sale amaro et pauxillo camphorae sed sine levamine. Mixtura oleosa cum camphora et sine opio non profuit; caput fiebat magis temulentum.

Die 27ma Julii. Intra biduum ternae sanguinis missiones institutae sunt, quas pulsus praedurus, capitis temulentia, et instans delirium postulare videbantur; levamen nullum graviora omnia.

Die 28ma mane artus inferiores convelluntur; lingua porrigitur, multum extra os tumet, et dentibus commordetur. Stupidus, et quasi attonitus est, mentis tota die impos, $\alpha\varphi\omega\gamma\varsigma$, cum tardissimo corporis artuumque omnium motu, ac toto quasi corpore semiparalyticus. Pulsus non duri, molles, naturalibus celeriores; urina sanorum, Hoc rerum statu mixtura oleosa cum opio et camphora exhibebatur; qua assumpta altero die mens, major membris mobilitas rediit. Injectus acer clyster faeces copiosas eduxit.

Die 30 repetita eadem mixtura, dolor in abdomen exiguus, major artibus vigor rediit.

Mixtura ex tota chamomilla, adjectis opio et camphora brevi convaluit, ita, ut die 6ta Augusti se aequa sanum, ac antea diceret.

Nihilominus diutius in nosocomio retinebatur, ut nonnisi probe confirmatus abierit.

Sub continuato opii usu alvus etiam absque purgante, aut enemate, quotidie una alterave vice respondebat, et artuum vires augebantur.

Noctes magis laboriosae fuerunt; interdiu mitius habuit.

Historia morbi XXI.

32 Annos natus pictor a tribus diebus dolorem ventriculi et intestinorum contorquentem, urentemque queritur, ac noctu graviorem. Loxium missurus diurnum conatum exprimendae urinae adhibet, donec ea tandem cum ardore prodeat; umbilicus modice introrsum trahitur; tensio hypochondriorum et anxietas; ardor in exiguo dorsi spatio, item per externam femorum partem decurrens. Scroti corrugatio constrictioque praeter modum, et testiculorum retrotractio, rotatio. Alvus nulla; vomituritiones, lingua biliosa, ructus multi flatuosi, et inappetentia adest. Pulsus fortis, plenus, durus absque calore.

Adplicatum cataplasma ad abdomen est, datumque decoctum ex emollientibus herbis; clysteres emollientes injecti fuerunt et haustus oleosi ore assumpti.

Inde levamen, sed perexiguum observabatur.

Die 28 Julii mixturam oleosam cum camphora et opio aeger sumpsit; eo die, assumpis quatuor opii per intervalla granis, secuta alvi libertas est, et symptomatum omnium emendatio.

Die 31 Julii, etsi hucusque oleosa mixtura cum camphora et opio propinaretur, alvus tamen libera et facilis mansit, nullusque artuum torpor, quin auctum potius eorundem robur observabatur. Caput nunquam sub usu opii temulentum. Nullus ullibi dolor aut ardor.

Usus postmodum camphora, et stomachicis, nervinisque est, et die 7ma Augusti sanus discessit.

Historia morbi XXII.

Tinctor 20 annorum, pigmentis saturninis assidue usus, 1ma Junii praeter morem non appetit, corpore quasso, et artibus dedolatis.

2da Junii 1776 pectus opprimitur; hisce molestiis adactis, die 4ta Junii dolor abdominis lacinans jungitur.

Die 5ta Junii sensus oris acido austerus accedit, lassitudo, dolorque ventris incrementa coepere. Umbilicus introrsum trahitur; noctesque molestae.

6ta Ardor sternum enormis invadit. Fit venae sectio. Somni perpauci, laboriosi; et ventris tarditas, et foeces durae, caprillae.

7ma Junii rebus in pejus ruentibus purgante pharmaco opitulabatur. Alvo quinques mota commodius habuit, surrexit.

9na Junii ad consuetos labores rediit. At vesperi nauseare, vomitire, noctemque agere ferme insomnem, et die sequenti.

10ma Junii, carebaria, temulentia, thoracis ardore, difficiili spiritu, borborygmis, vomititione, torminibus affligi coepit, umbilico introtracto, alvoque suspensa; somnus nullus.

11ma Junii, sumpto purgante non dejicit.

12ma Junii ad nosocomium venit vertiginosus, et gressu titubante; oris amarorem, pectus oppressum, et sterni ardorem ingentem questus. Tormina, venterque a triduo clysteres eludens. Pulsus, praeter morem aegrorum ex colica saturnina decumbentium, perquam mollis. Dabatur sequens:

Rec. Aqu. chamom. Unc. V.

Opii puri

Camph. 2 gr. viij.

Syrup. chamom. unc. ij.

M.

Omni 4ta hora sextam partem assumat; jecta emollientia, dein et irritantia enemata nil faecum eduxerunt. Aliquoties vomuit assumpta et biliosa; accessit urinae difficultas, et tenemus ad *matulam*.

Horum remediorum usu continuato, pleraque molestiae remiserunt, cicuratisque abdominalibus spasmis.

Die 15ma Junii purgante, alvum hucusque suppressam, movimus:

Rec. Sal. amar. unc. 1 β .

Aqu. fontan. unc. iiij.

Opii puri gr. 1

Syrup. mannat. unc. 1

M.

Secessus inde complures consecuti, ingens levamen omnium ferme symptomatum attulerunt, ita, ut, praeter quedam non molestissimum et alvi, et urinae tenesmum, per vices recurrentem, aeger vix quidquam a sanitate alienum conquereretur. Remediis postea stomachicis, et amaricantibus, mentha, chamomilla, foliis aurantiorum, nervis suppetias tulimus, et opii atque camphorae, singulorum grana quinque diurnae medicamentorum portioni adjecimus.

Tandem narcoticorum et camphorae doses in dies minuebamus, solis usi stomachicis et corroborantibus, quibus effectum est, ut morbi reliquiae sensim difflarentur, aegerque die 24 Junii sanus a nobis discesserit.

Aeger assiduo herbarum emollientium decocto pro potu communi utebatur. In hoc quoque aegro, noctes diebus multo difficiliores fuerunt. Purgans opio praemissum die 11ma Junii adstrictam alvum non reclusit; verum narcotico praemisso, et relaxatis intestinalorum fibris, praesentem opem serius tulit.

Etsi purgantia colicam saturninam non sanent, prosunt tamen serius data, et spasmis opio prius compressis; cum sordes ob alvum diutius obstructam conclusas, et colicam stercoream, biliosamque secundario induentes, eliminent. Alvus quotidie et sponte respondebat per ultimos morbi dies, etsi quotidie laudano uteretur.

Historia morbi XXIII.

Pictor, 53 annos natus, pigmenta, quibus ad labores suos utebatur, ipse in pulverem tenuens, et ex mala consuetudine penicillum ore detergere solebat, elapsa hyeme 1777 quaternis vicibus ex dira colica pictonum decubuit: antea semper sanus. 3^{ta} Aprilis de vehementi dolore ventris et cardiae conquerebatur; vomituritio, et tandem vomitus; testiculi retrotracti, et contorsi; artuum dolores, alvus nulla, nullus somnus; urinae liberum profluvium.

4^{ta} Vomitus saepius rediit, cardialgia vehementior, lancinans et vagus in abdomine dolor, ad lumbos usque subinde ascendens.

Ardor per totum oesophagi tubum; artuum, praecipue superiorum, dedolatio; penis et testiculi retrotracti; urinae ardor.

Sumpsit statim opii gr. I β. in syrupo menthae; dein sequens.

Rec Aq. chamom. unc. v

Olei amygd. rec. et frigide expressi, vitello ovi subacti.

Syrup. fl. chamom. aa unc. I

Camph. gr. vij.

Opii puri gr. ix.

M.

Injecto enemate semel parca alvus, absque levamine.

5^{ta} Aprilis, cephalalgia, et vomituritio; vomitus etiam, rarer tamen, quam heri. Os amarum, lingua impura. Frigus et calor per vices, sitis magna, pulsus varius, urinae ardor; alvus obstructa. Injectus clyster; decoctum

herbarum emollientium; mixtura oleosa cum
granis vj opii et camphorae.

6ta Cephalalgia; lingua humida et albe-
scens; oris amaror, et vomituritio perstabant;
jactitabat sese aeger per lectum, cum singultu;
abdomen tumidum, tensum, vel levissimi at-
tactus impatiens; artuum superiorum et inferio-
rum dolor et dedolatio; et totius spinae dorsi
dolor; testiculi retrotracti; stranguria, pulsus
inaequalis, somnus parcus, alvus obstructa. Ea-
dem remedia continuata, atque saepius enemata
applicata, addito ex sale communi stimulo.

7ma Aprilis, cephalalgia, nullus amaror
oris, lingua pura, nulla vomituritio, et singul-
tus minus frequens; dolor autem totius abdo-
minis, artuumque pondus et dedolatio persta-
bant: de cordis palpitatione valida conquereba-
tur; cum urinam mitteret, penis et testiculi su-
bito ad momentum retrotrahebantur, ceterum
fluxus urinae facilior; semel alvus copiosa, mul-
tos inter flatus, magno aegri cum levamine;
pulsus ut pridie; somnus paulo protractior.

Eadem remedia continuabantur acrioribus
enematibus interpolata.

8va Caput et lingua bona; singultus rarer;
dolor abdominis mitior, etsi nondum rudiorem
attactum ferens. Minor artuum superiorum de-
dolatio; ab injecto clystere alvus mota; nulla
amplius cordis palpitatio. Cutis totius corporis
a rudiori attactu dolens; pulsus celer admodum
et inaequalis; octies adhuc alvum posuit; som-
nus frequentioribus dejectionibus turbata.

Cum alvus etiam emollienti minusque acri
clysteri facile responderet, utpote spasmis in-
testinorum continuato opii usu solutis, et emol-

liens decoctum, et mixtura oleosa cum eadem camphorae dosi continuabantur, omissis quamvis opio.

9ma Sapor bonus, dolor abdominis mitior, mictus facilis; artuum tamen aliqua dedolatio; alvus ter mota. Sumebat sequens:

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v

Extr. fl. chamom. Extr. dr. β,

Camph. gr. vj.

Syrup. chamom. unc. ij.

M.

10ma, ab injecto enemate bis alvus mota; bis quoque alvum sponte posuit; somnus bonus; eadem remedia continuata. Usu tandem continuato mixturae amarae et stomachicae perfecte convaluit, et 20ma sanus e nosocomio discessit.

Historia morbi XXIV.

Idem tinctor, cuius morbum nunc descripsimus, ad eosdem labores resumendos dira necessitate coactus, 7ma Maij 1777 nostrum iterum nosocomium accessit. Conquerebatur de dolore contorquentे ventriculi, et totius abdominis; frigus et calor cum cephalalgia per vires. Os pituitosum, subinde vomituritio, artuumque omnium dedolatio. Alvus semel posita, cum tenesmo.

8va Omnia pejora, accedente testiculorum contorsione; alvus nulla; somnus paucus, et turbatus.

9na In nosocomium receptus. Cephalalgia, mitior tamen. quam praecedentibus diebus. Os amarescens, lingua humida et albescens, et fre-

quens vomituritio; nullus tamen vomitus. Cardialgia vehemens, ab attactu externo aucta. Dolor scindens totius abdominis, et cutis totius corporis ab attactu dolens. Major artuum dolatio; et dolentes testiculi contorti atque retracti. Sitis magna, pulsus inordinatus. Dabatur sequens:

Rec. Aq. fl. rhaead. unc. v
 Olei amygd. dulc. vitello
 ovi subacti
 Syr. fl. chamom. $\frac{1}{2}$ unc. j.
 Opii puri
 Camphor. $\frac{1}{2}$ gr. viij.

M.

Praescribebatur simul decoctum altheae.

10ma Somnus parcus, alvusque nulla; artuum noctu dolor major, rarer autem et mitior vomituritio, mitior quoque cephalalgia; os autem aenarum, et lingua biliosa colluvie obducta. Cardialgia et dolor totius abdominis ab attactu aucta; dolor artuum et reliqui corporis obtusus; urina, alvus, et pulsus, ut pridie; hinc eadem mixtura, idemque decoctum continuata.

11ma, Somnus bonus; minor capitidis dolor, artuumque nullus; nullus etiam in regione ventriculi dolor, et rudiorem etiam ibi attactum ferebat. Dolor in regione epigastrica obtusior, minusque scindens, ac die praegressa, artusque etiam aeger facilius movebat; mictus tamen cum tenesmo. Alvus nulla; pulsus inordinatus, paulo durior; injectus clyster mox iterum, quin alvum moveret, ejiciebatur. Eadem remedia continuata.

12ma, Nox inquieta, insomniis turbata; nulla cephalalgia, ventriculus autem attactum

non ferens; abdomen molle, ferme indolens; mictus difficilis. Datum elyster emolliens, dein purgans ex unc. 1 β. salis mirabilis, opii gr. j; et camphorae gr. ij. in aqua communi et syrupo menthae; inde paucam pituitam cum bile vomuit; sexies dein dejecit faeces duras, caprillas; hinc mixtura chamomillae cum camphora, sed sine opio.

13ma, Somnus bonus; caput indolens; ingratus tamen ab attactu circa ventriculum sensus. Cum lancinans dolor abdominis per vices recrudesceret, mictus iterum difficilis redderetur, et artuum dedolatio adesset, prior mixtura cum opio praescribebatur. Alvus inde nulla; idem pulsus.

14ma Nox tranquilla; caput bonum; abdomen ab attactu modice dolens; major artuum mobilitas, pulsus inordinatus. Vespera, ab injecto clysmate, alvus copiosa; mictus autem adhuc cum tenesmo.

Prior mixtura cum granis v camphorae et opii.

15ma, Eadem, quae pridie, somni et capitis conditio. Abdomen ab attactu minus doluit; dedolatio; mictus facilior. Nulla tamen alvus; eadem mixtura repetita.

16ma Bene dormivit; minor dedolatio, abdomen attatum magis ferens; artus facilius movebantur; mictus liberior; alvus vero obstructa. Pulsus inordinatus. Eadem mixtura.

17ma, Ab enemate alvus semel mota; modicus abdominis dolor; dedolatio, mictus, et pulsus, ut heri. Mixtura chamomillae cum opii et camphorae àa gr. v

18ma, Nulla alvus; ceterum ut pridie se habuit; idemque remedium exhibetur.

19ma, In dextro latere dolor ischiaticus; minor dedolatio; et obscurus abdominis ab tactu dolor; mictus facilior. Eadem remedia.

20ma, Dolor ischiaticus mitior; alvus sponte bis mota, et vix ullus abdominis dolor. Artuum inferiorum debilitas, et articulorum dolor; ceterum bene se habuit. Sumpsit priora remedia.

21ma, Ischias ex toto evanuit; alvus spontanea et facilis; abdomen bonum, omnia symptomata emendata; aegerque convaluit.

26ma, E nosocomio discessit, continuato usu mixture Chamomillae cum camphora et remediorum stomachicotum perfecte restitutus. Ad confirmandas primas vias cortex peruvianus prescribebatur.

Historia morbi XXV.

Pictor annorum viginti natus, a longo tempore sanus, 25 Maji 1778 de dolore per vices lancinante hypogastrii conquerebatur. Appetitus erat prostratus, sapor oris putridus, calor magnus. Haec symptomata sequentibus quinque diebus pejora reddebantur, accidente tandem stranguria. Alvus a triduo obstructa, et valida vomitatio.

31ma ad nos venit. Obscurus capitnis dolor, oculi caliginosi, lingua albida, pituitosa, appetitus prostratus; dolor in regione ventriculi inter inspirandum; dedolatio, vomitatio, et vomitus aliquot spontanei. Per totum abdomen dolor lancinans; mictus frequens, et strangurio

sus, cum ingenti dolore. Alvus obstructa, et anus introtracta. Nullum artuum rheuma; pulsus plenus, fortis, durus; clyster injectus a retrotracta et constricta ano mox repellebatur. Mixtura oleosa cum opii et camphorae granis viij, et decoctum herbarum emollientium.

1ma Junii cephalalgia minor, lingua adhuc albida; repetito vomitu vermem rejicit; ventriculus attactus magis impatiens; dolor lancinans ardensque abdominis. Alvus nulla, mictus cum tenesmo, et anus adhuc introtracta. Pulsus fortis, plenus, durus. A meridie venae sectio instituta unc. x, sanguis absque crusta. Eadem remedia.

2da Junii caput bonum. Appetitus nondum rediit, vomituritio enim, nullus tamen vomitus. Ventriculus et abdomen ab attactu dolens; dolor etiam lancinans supra pubem. Dedolatio perstabat. Mictus difficilis, stranguriosus, dolens. Sumpsit mixturam chamomillae cum opii et camphorae à gr. jx. Omittebatur oleum, cum non semper recens esset, et ob alvum diutius adstrictam facile rancesceret, tum etiam ex hac ratione, quod ventriculum saburra putrida gravatum existimaremus.

3ta aeger, quod caput et os attinet, bene se habuit, adhuc tamen vomituritio, et dolor ventriculi ab attactu. Dolor abdominis minus lancinans; alvus obstructa; et mictus stranguriosus et dolens; omnium artuum dedolatio. Sequens remedium praescriptum.

Rec. Aqu. font. unc. ij.

Sal. amar. unc. 1 β .

Opii puri gr. 1 β .

Syr. menth. unc. i

M.

Revomuit statim hocce remedium; hinc vespera eccoproticum ex sale amaro, grano uno opii, et granis ij. camphorae exhibitum; injectus clyster ex hiera picra: bis inde vomuit, et quaternis vicibus dejecit. Lacinians artuum dolor et dedolatio perstabant, abdomen minus dolens, et mictus facilior,

4ta Nocte praegressa quinques dejecit, somnus reficiens; caput et os bonum. Hucusque oculi adhuc caliginosi. Ventriculus haud dolebat, et obscurus tantum abdominis dolor, nulli doores laciniantes artuum, aliqua tamen dedolatio; mictus facilior, nullus vomitus, neque vomitatio: ceterum nox tranquilla. Mixtura chamomillae cum opii et camphorae $\frac{1}{2}$ gr. viij.

5ra Levis tantum in abdomine dolor. Artuum dedolatio, et oculorum caligo; alvus obstructa; reliqua bona. Eadem mixtura.

6ta Sequens purgans exhibitum.

Rec. Aq. menth. unc. iij.

Sal. amar. unc. 1 β .

Opii pur. gr. j.

Syrup. menth. unc. i

M.

8es Inde dejecit; dedolatio; nullus dolor.

7ma Somnus protractus; minor dedolatio; alvus bis posita; ceterum bene se habuit.

8va et 9na omnia emendata; alvus autem nulla.

Hucusque quotidie mixturam chamomillae cum

cum opii et camphorae $\frac{1}{2}$ gr. v sumpsit; postea autem eadem mixtura absque opio praescripta.

12ma Sub usu continuato remediorum roborantium et stomachicorum perfecte convaluit.

Binis vicibus eccoprotica praescripsimus, ne impuriae reliquiae retentarum diutius sordium, regnantibus praecipue febris gastricas, malum exacerbarent.

Opium purgantibus addebatur, ut spasmos, qui alvum adstringebant, solveret, purgante interim remedio optatum ut plurimum effectum praestante. Saepe largis dosibus opii exhibitis, alvus aliquot continuo diebus saepe *sponte*, absque purgante, movebatur.

Drastica etiam purgantia, et clysteres frustra exhibentur, nisi opio prius exhibito, alias enim emetica evadunt.

Ceterum in sananda colica pictonum, sequentia mihi medici attentionem peculiariter meriti visa sunt:

Illa medendi methodus, quae remediis emollientibus, mucilaginosis, oleosis, plumbi vim venenatam enervare conatur, raro, aut vix unquam, sola nobis sufficit. Nonnunquam emollientibus atque obvolventibus remediis leniora purgantia interposuimus. Mitiores tantum colicas saturninas, easque perpaucas, hac methodo sanatas vidimus.

Fortiora remedia alvum non movebant; sed vehementissimum vomitum, auctis simul abdominis doloribus, ciebant.

Neque in solo emeticorum usu salus; etsi aegri symptomata maxime biliosa exhiberent. Mirum est, quantum opium profuerit; neque tantum dirissimi inter miserrimos ejulatus aegro-

rum dolores ab opio sopiebantur; sed vis ipsa venenata plumbi infringebatur, uti observatis constabat, si diutius, et exiguis dosibus exhibebatur, atque symptomatibus, opii usum contraindicantibus, prius sublatis.

Contraindicantia autem sunt sequentia:

Primo: Biliosa ventriculi illuvies, quam tempore plerumque aestivo, quo bilis potissimum dominatur, in aegris hac colica affectis frequenter observavimus. Si aegri magnam biliosae sanguinariae copiam vomitu sponte rejecerunt, mox ad opiate confugimus; spasmis enim abdominis solutis, primae viae pertinaciter et diu obstructae aperiebantur, et dirissimi cruciatus cessabant.

Quibus autem nulli vomitus spontanei, atque magna copia bilis in ventriculo haerebat, emetico prius exhibito, mox opiate prescrivimus.

Ventriculo multa bile laborante, noxius omnino erat opii usus; calorem enim augebat, et febrim biliosam, malignam, putrido-malignam excitabat.

Si aeger colica pictorum correptus, febre simul bilioso-putrida laborabat, curatio anceps et difficilis erat. Febris enim, pejor colica morbus, opii usum, quem colica postulabat, prohibuit. Hinc tali modo contra utrumque morbum erat pugnandum, ut modo huic, modo illi maxime urgenti malo obviam iremus.

Alterum, quod in initio colicae saturninae opium contraindicabat, erat plethora, aut inflamatio. Quodsi itaque abdomen, a continuo plumbi stimulo vexatum, in hominibus cetero-quin robustis, et tempore phlogisteo, hyeme

scilicet sicca, siccoque vere, ab inflammatione affici deprehendebamus, opium non exhibebatur, nisi venae sectione prius instituta, et remediis emollientibus per os et anum exhibitis; et fo-mentis emollientibus abdomini applicatis; absterra-
sa autem phlogosi, opata felici cum eventu
praescripsimus. Alvis pertinaciter clausa, et pur-
gantibus, atque acribus clysteribus, per plures
etiam dies exhibitis, non respondens, usum opii
ad eo non prohibuit, ut hoc potius remedio,
contra ac in aliis aegris contingit, moveretur;
spasmis forte abdomen adstringentibus opio so-
lutis,

Extractum hyoscyami opio poterat substitui,
tunc praecipue, si venenum plumbi laudano li-
quido sydenhami, diuturniori, ut videbatur usu
assuesceret; atque in eo casu parva extracti hujus
dosi id effecimus, quod a majori etiam opii
dosi vix assequebamur.

Nulos aegros vidimus, artuum paralysi mul-
tatos; si modo opium prius, quam nervi a plum-
bi veneno destructi erant, exhibitum fuerat.

Alia remedia nervina ad celeriorem tantum
sanationem operam suam contulisse videntur, at-
que inter haec potissimum camphora, castoreum,
et gummi ferulacea.

SPARSA QUAEDAM

A D

AEGRORUM LECTOS EXPOSITA.



I.

DE EXPECTORANTIBUS.

Opus fuit in aegro nostro medicamento, quod in massam sanguinis posset transferri, quin prius consueta alias via in ventriculum et intestina transferretur. Vis cantharidum movens, glutinosa incidens, attenuans, solvens, talis est, ut per cutis spiracula massam humorum subeat, et destinato fini satisfaciat.

Quaeritur hoc loco, an non convenisset citius, et ad initium morbi expectorantia propinare?

Respondeo: pravam esse illam consuetudinem, quae, sive in vera, essentiali, ac inflammatoria pulmonum inflammatione, sive in spuria, biliosa, statim stibiata, moventiaque exhibet. Nam quamdiu in vera inflammatione phlegmatis manet, quamdiu actu inflammatio persistit, tamdiu sola viget solvendi, lubricandi, emolliendi, et massam sanguineam diminuendi indi-

catio. At vero, ubi discussa omni phlogosi materies mobilis facta jam est, sed ob ejus tenacitatem, aut ob vim vitae nimium dejectam per sputa educi non potest, cumque ex hac caussa pulmones hoc alieno naturae pondere gravantur, convenit medicamento movente, incidente, stimulante, viribus vitae debilitatis suppetias ferre, ut omnes secretiones et excretiones, quae ob morbi violentiam, diuturnitatem, praegressas copiosas excretiones languent, ad moto expectorantium sic dictorum leni stimulo, resuscitentur. Sed neque in hac nostra pleuro-peripneumoniae specie convenit, ad initium statim expectorantia propinare; nam moles materiae alienae, in primis adhuc viis restitans, in motum fuisse ducta, et ad vias secundas copiosius transiisset; hinc prius purgare ventriculum et intestina convenerat.

II.

Curae confirmatoriae necessitas post morbos biliosos.

Aeger, qui Nro. 15 decumbit ex pleuro-peripneumonia inflamatorio-biliosa bene per omnia se habet. Agit 14tum ab initio morbi diem, Datum hodie est medicamentum vias primas leniter abstergens ob sequentes rationes. Morbi biliosi, etsi curati sint, nihilominus magnum relapsus proclivitatem post se relinquunt, partim, quod sistema gastricum reliquis biliosae materiae adhuc obsideatur, partim etiam, quod id ipsum sistema morbo, et medicamentis evacuantibus debilitatum sit, aptumve, ut paulo post novus sordium apparatus colligatur. Hinc

necessere omnino est, primas vias probe ab omni inquinamento, tanquam recidivarum somite, eluere. At neque hoc solum sufficit, ut felicem curationi coronidem imponamus. Cura enim prophylactica, cura confirmatoria, si unquam in ullo morbo, in hoc certe perquam est necessaria. Hinc repurgatis bene primis viis lenia tonica dabimus, eaque ex classe illorum repetemus, quae alvum simul apertam servant. Solemnis nobis est mixtura stomachica:

Rec. Aq. fl. chamom.

— menth. 2a unc. ij g.

Elixir stomach. temp.

Tinct. rhei aquos. 2a unc. i

M.

Languor ex hoc morbo convalescentium diutius perstat, tardiusque emendatur, quam in iis, qui vera pulmonum inflammatione laborant; et si facilis sit pleuritidis verae recidiva, facillima erit ea pleuritidis biliosae. Ratio patet: scilicet in vera inflammatione nimium stricta sunt relaxanda, humores nimii per venae sectiones evacuandi, et excessus sanitatis athleticae auferendus; at in morbo bilioso, nimium relaxata jam sunt roboranda, materies biliosa per vias varias successive eliminanda. At facilior est, nimium stricta relaxare, quam nimium relaxata stringere. Pars antea relaxata, nunc vero medicamentis corroborata, in priorem nimiae laxitatis statum magis inclinat, quam pars antea nimis stricta, nunc medicamentis relaxata in statum stricturae nimiae.

III.

Quando purgans et vesicantia in angina prosint ; quando noceant.

Anginoso nostro vena secta est , datum emulsum nitrosum, mixtura antiphlogistica, gargarisma emolliens cum melle et nitro . Duo sunt omissa , vesicans scilicet ad partem affectam , et purgantia . Videamus rationem :

παρασυραγχη, haec fuit inflammatoria ; non erat malum mere locale , sed totum reliquum corpus vera laborabat febre *inflammatoria* . Duplex ergo est indicatio : partes solidas nimium strictas relaxare , et sanguinem phlogisticum minuere et diluere . At vesicantia neutri indicacioni satisfaciunt , stimulant , inflammant , et in *totum* corpus agunt .

Purgans , utut *mite* , utut *antiphlogisticum* , nunquam tamen exhibetur , quin major inde humorum motus reddatur . Mitissimum purgans ex cassia , manna , rheo , in vias secundas agit , id quod ex urina saturationi , et pulsu citationi constat . Hinc in sensu tricto nullum proprius datur purgans *antiphlogisticum* . Aequo inepte egissemus praescribendo purgans , ac ageretur , si quis in vera , essentiali , et inflammatoria pleuritide purgans exhiberet . Angina inflammatoria idem fere morbus est cum pleuritide inflammatoria : est scilicet febris *inflammatoria universalis* cum *inflammatione topica* , tonsillarum videlicet : pleuritis est febris *inflammatoria universalis* , cum *inflammatione topica* , scilicet *pleurae* , ut quidam dicunt , vel potius *pulmonis ipsius* , ut alio loco de-

monstrabimus. Hinc, sicut in pleuride inflammatoria purgans non convenit, omnium auctorum et quotidianae experientiae testimonio, ita nec in angina inflammatoria.

At vero, si sit inflammatio tonsillarum, faucium solum *spuria*, depositio serosa, tunc utique conveniet vesicans, humores sérosos, et ad certam partem depositos in motum dicens, per vias urinarias eliminans, uti et per diaphresin, quam stimulus vesicantium promovet. Tunc etiam purgans conveniet eodem sere scopo, movente scilicet et evacuante. Probe haec notanda sunt, cum morbi hi faucium quotidie ferme occurrant, ne, uti fieri saepe solet, inconsulto, nullo facto mali discriminé, et venae sectionem, et simul purgantia, et vesicantia, et omnem remediorum sibi contradicentium apparatus adhibeamus. Eo facilius hic erratur in morbis ejusmodi vulgaribus, obviisque, quod minus necessaria mali disquisitio videatur, et quod jam trita via sit, qua omnes nos coeco quodam impetu, et sola solemini, et antiquitus iam stabilita consuetudine ducti, inconsulto rui-
mus. Plures sunt morbi, qui, quo magis obvii, vulgaresque sunt, eo minori cum attentione tractantur.

IV.

Remedium expectorans laudanum cum kermete.

Aeger noster, qui Nro. 14 decubuit ex pleuroperipneumonia spuria, uti nostis, diarraea corripiebatur, circa 7, 8, 9num morbi diem, quam utilem, si moderatior fuerit, et pro evacuandis biliosis reliquiis necessariam diximus. Verum cum alvus diutius ac copiosus, quam par erat, et aegro conduceret, flueret, cum metus esset, ne sputa minuantur, cumque materies sputorum crassa, tenax, glutinosa, et ductilis esset, indicatio viguit, 1mo: diarrhaeam diutius durantem comprimendi; 2do, vires vitae languentes incitandi, ut materies sputorum promoveri queat; 3tio, materiem crassam sputorum attenuandi.

Primae et secundae indicationi opium satisfacit; tertiae kermes minerale. Datum est ergo medicamentum compositum ex quarta parte grani unius laudani puri, et dimidio grano kermes, hac ratione, ut omni hora pulverem sumat; dein omni bihorio dabatur granum kermes, et 1/4 grani unius laudani hac formula:

Rec. Laudani pur. gr. j.

Kermin gr. ij., iij., jv.

Sacchar.

Lapid. cancer. 2a Scrup. ij.

M.

Divide in doses IV.

Hac ratione sputa copiosiora primo, et dilutiora facta sunt, demum purgatis ex toto pulmonibus, et tussis, et sputa conquieverunt.

Quaestio duplex hic nascitur: 1 qua vi agat Kermes, an *specificum* sit expectorans, an peculiari occultaque vi sputa promoveat, tali videlicet, prout cortex peruvianus specifica antifebrili virtute gaudet. 2 Qua vi opium agat, ut hic apta ejus exhibitio fuerit.

Ad primum respondeo: kermetem tanquam medicamentum antimoniale habere vim fibras stimulantem, irritantem, et universim corpori humano molestam. Hinc, si nimia quantitate ingeratur, vim eandem in ventriculo exseret, qua congener tartarus emeticus agit, emeticam scilicet. Si vero ventriculum offendat paulo minus delicatum, atque dosi paulo parciore praescribatur, ventriculus non offendetur, at vero ad intestina ruet, et alvum solvet. Verum, si Kermes a primis viis supereretur, atque ad secundas transeat, natura inimicas antimonia- lis hujus praeparati reliquias eliminare conabitur, easque illuc urget, ac deponet, quorsum major humorum excrementitiorum nisus, majorque inclinatio est. Hinc ergo Kermes nulla specifica vi expectorante agit, atque plures alias vires aliis in morbis per quam utiles possidet. In doloribus inveteratis articulorum, ubi materies arthritica ad manus pedesque deponitur, kermes hoc quoque a viribus vitae determinabitur, et motu hoc suo vascula obstructa reseparabit, materiem ibi restitantem reddet mobilem et per vasorum extremitates abiget, quin propterea vim quandam specificam in morbis articulorum possideat. Item in morbis cutaneis inveteratis, scabie, lepra, achoribus, in materia quacunque ad superficiem corporis cum aegri levamine delata, indeque retropressa, kermes

egregium erit medicamentum; illum enim motum humorum excrementitiorum sequetur, qui facilior fuerat, et per quem multa corporis excrements ad superficiem corporis ferebantur, et si propterea kermes nulla specifica vi ad superficiem corporis urgente polleat. In scabie retropressa, erysypelate, saturninis adstringentibusque curato, in achoribus unguento et medicamento spirituoso, siccatis, in morbillis, variolis, scarlatina intempestive retropressa, in depositionibus materiae cuiusdam acris tenacisque, in depositione lactea subinde, in materie venerea glandulas obsidente, pulchre kermes ministrale convenit, ac prae omni alio medicamento spirituoso aromaticoque, quod etsi humores aquae potenter moveret, attamen aromate suo inflammante nocet. In variolis confluentibus kermes est potentissimum, et eximie conveniens sialagogum, et salivam copiose ciet. In pertinacissimis viscerum obstructionibus, in rebelli quartana, ob materiam febrilem crassam, pertinacem, non solvendam, non solum sulphur antimonii auratum, sed et huic affinis kermes mineralis egregio cum effectu exhibetur. In omnibus morbis pituitosis, praecipue iis, ubi pituita jam intra vasa sanguifera recepta est, omnino kermes convenit.

Dosis kermetis varia est pro varia ejus medicamenti efficacia, quam aliam atque aliam habet, prout alia atque alia praeparatio accesserit. Securissimum est a minima incipere dosi, eamque pro aegri tolerantia identidem augere. Quarta grani pars quibusdam sufficit, plures granum dimidium ferunt, multi granum integrum.

Jungitur cum variis aliis medicamentis, prout indicatio est. Sic in doloribus inveteratis, nodis, tophis arthriticorum, venereorum, efficacissimum medicamentum habetur in kermete cicutae et aconito juncto. Efficacissima haec formula est:

Rec. Extract. cicut. unc. 6.

— — — aconit. dr. j.

kerm. min. dr. 6.

fiant. pil. gr. iij.

Quater per diem duas, dein tres.

Eadem formula luem inveteratam, mercurio, et omnibus mercurii praeparatis rebellem curavit. In scabie inveterata idem summopere prodest; in efflorescentiis acutorum intempestive retrocedentibus cum pulsu humili, debili, cumque tremore artuum, convulsione etc. convenit haec formula.

Rec. Moschi gr. ij.

Laudan. puri gr. 6.

Kerm miner. gr. j.

Lapid. cancr.

Sacch. alb. aa scrup. 6.

M.

Id praecipue valebit in variolis repente subsidentibus, in morbillis admisso frigore repercussis. Si moschus desit, castoreum dupla triplave dosi acceptum idem ferme faciet. In promovenda variolantium salivatione, praecipue circa diem 11 12 et 13, ubi p[re]ae spissitudine salivalis materiae aegri persaepe vix non suffocantur, insigni cum fructu kermes datur. Cum vero nauseas, vomituriones, vomitus, diarrhaeas non paucis excitet, juvabit eidem kermeti medicamentum quoddam stomachicum, e. g. ex

mentha, cinnamomo etc. adjungere. Six pulvis granum kermetis continens ex uncia β aquae cinnamomi, aut ex uncia aquae menthae, aquae foeniculi sumi potest; vel quod omnium erit tutissimum, kermeti laudani pauxillum jungi potest, si modo morbus is sit, ut laudanum non repudiet. Hinc utile censeo, ut explicata kermetis virtute quaedam de laudano subjiciam, ejusque viribus, ut ubi conveniat, aut non conveniat, aptius judicium ferre possemus.

V.

O P I U M

Succus papaveris inspissatus, qui opium audit, heroicum in arte nostra medicamentum est, verum dispar de opii viribus apud medicos opinio est. Antiqui id *refrigerans* seu *frigidum*, et quidem in quarto gradu declararunt. Quidam recentiorum, re curatius examinata *calefaciens* esse statuerunt. Operae pretium est, medicamenti, tam excellenti virtute praediti, quodque saepe unicum est, et usu ferme quotidiano adhibetur, vires recensere. Ut quotiescumque posthac occasio, et indicatio opium exhibendi est, eo facilius indicati remedii rationes perspiciamus. In posterum ergo, ubi quaestio de exhibendo opio nascetur, semper ea in memoriam revocanda sunt, quae in praesentiarum de viribus opii dicam. Accedit et id, quod me permovit, ut hancce materiam paulo diligentius, utut strictim solummodo, pertractem; quod ab omni aevo gravissimi circa usum opii errores fuerint commissi, comittanturque. Nolo hic as-

sertionum singularium rationes addere, cum, qui opii historiam legere velint, viresque fusius de scriptas, accedant historiae naturalis scriptores, sed praecipue eos, qui peculiari tractatu de opio egerunt, ut sunt *Wedelius*, Cl. Edinburgensis medicus *Joung*, *Hecquetus* singularis opii fautor, et qui omnium instar esse potest, egregius *Trallesius*.

Opii actionem in corpus humanum si spectemus, patebit:

1 *Opium exhibitum pulsum cordis et arteriarum.* adeoque omnem humorum circuitum intendere, et accelerare. Experimentum institui facillime potest. Quo quis de rei hujus veritate convincatur, pulsus est ad horologii ictus numerandus, sumpto opio frequentior erit, quam ante ejus sumptionem. Vim cardiacam opio inesse tantam, ut opium vix non unicum cardiacum appellari mereatur, cordatissimus *Sydenhamus* assertit. *Boerhaeius*, in tractatu de viribus remediorum, ad cardiacorum classem, praeter vinum, spirituosa, salia volatilia, aromatica, stimulantiaque, numerat etiam opium.

2 *Opium calorem corporis naturalem auget.* Hoc effatum ex illo priori necessario sequitur. Quidquid enim humorum motum auget, augabit pariter et calorem. Opium gustu amarum, inflammans et urens, uti piper observatur; cuti vero impositum aut rubefacit, aut instar emplastri vesicantis vesiculas excitat, ut adeo meritisimo jure opium ad medicamenta calorem excitantia stimulantiaque relegetur. Qui opio assueti sunt, uti populi orientales, Turcae, aliique sine opio, cardiacorum maximo, languent, et

si opii copia non sit, ejus loco vinum creticum, tanquam opii succedaneum, assumunt.

3 *Opium sanguinem, humores omnes circulantem rarefacit, attenuat, eorumque volumen auget.* Pulsus enim non solum frequentiores fiunt, sed et elatiores, venae et arteriae turgent, facies rubet, inflatur, uti eorum, qui aestu, motu, vi no incaluerunt.

4 *Opium sanguinem celerius motum copiosius determinat versus caput.* Notum est, ab opio fieri frequentem carebariam, capitis gravitatem, torporem, faciei turgescientiam, eo prorsus modo, quo fieri copiosius assumpto vino, aut spiritu vini solet. Oculi rubentes, protuberantes, feroce ab opio redduntur. Opium morbos capitis sanguineos producit, scilicet stuporem, delirium, meningum inflammationem ac cerebri, apoplexiā. Animalia opio enecata cerebrum inflammatum exhibent. Hominum et animalium mors, opio interemptorum, est *mors apoplectica*, uti a nimio vino, spiritu vini, solis aestu, insolatione. Cura in morbis, a nimio opio assumpto ortis, est summe antiphlogistica, ut adeo vis opii necessario inflammans, et apoplexisera sit. Haud raro contingit, ut nutrices infantibus opium, theriacam, dioscordium praebeant, ut somnolenti, et quietiores evadant, saepissime aeterno sopore, et morte vere apoplectica ejusmodi infantes periere.

5 *Opium pacat animum, eumque audacem, alacrem, curis vacuum et bilarem efficit.* Mirabilis haec opii vis est, et inexplicabilis. Asiatae, ut mortis metum instantे praelio superent, spernant, opium deglutiunt, unde ipsorum animi efferantur, ferociunt, summo cum omnium pe-

riculorum contemptu, ut adeo incurii vitae in median mortem ruant. Idem faciunt, etsi meliori cum successu, quod multi nostrorum militum, qui e potu generosioris vini, aut saltem spiritus vini poculo, praelium imperterriti in-eunt. Qui opium refracta admodum dosi, et rarius solummodo assumit, peculiarem animi tranquillitatem, et mentem omnibus curis vacuam experietur; qui vero plusculum opii assumpserit, audacior evadet, vegetior; qui vero dosi excedit, in furorem agetur; qui iterum adhuc plus opii assumit, comatosus, et apoplecticus fiet.

6 *Opium temulentiam et ebrietatem inducit.*
Omnes fere populi, quibus usus vini interdictus est, uti sunt sectatores Mahometis, loco vini aliud inebrians in usum trahunt, opium scilicet. Opium eundem in capite sensum, finita etiam ejusdem operatione relinquit, quem vinum largius haustum, et inde nata crapula.

7 *Opium sensum tactus obtundit, minuit, et si is sensus praeter naturam augeatur, exacerbeturque, natos inde dolores sedat.* Haec vis anodyna nullo pariter modo explicanda, vel in vulgus nota est, et saepe unicum miseris mortalibus solamen dolorum praestat. Paracelsus hoc solo fere remedio, praeter, mercurium usus, per omnem Europam vagabatur, et quasi miracula patraret, aut arte magica uteretur, ingenitem sibi famam comparavit.

8 *Opium vires motum animalem producentes debilitat, si largius, et frequentius usurpetur.* Loquor de motibus illis, qui imperio animae sub-jacent. Qui opio multum utuntur, languere incipiunt, tonum muscularium fibrarum relaxatum que-

queruntur, uti qui vino diutius et largius usi, artuum tremore, debilitateque laborant, et tristī necessitate de novo sese ingurgitare coguntur. Turcam opio assuetum videbis tardum, stupidum, et languentem ante assumptam opii dosin; verum ut primum stimulus hic opii in nervos agit, denuo ad aliquod tempus alacrem, vegetum, qui tamen paulo post in majorem adhuc languorem recidet.

9 *Opium peculiaris vi somnum inducit*, qui per omnes gradus usque ad somnum illum letalem et apoplepticum augetur, prout major minorve opii portio deglutitur.

10 *Opium dormientibus insomnia facit*. Somnus opio productus aliis ab illo est, quem sibi reducta natura parit. Qui vero usu opii in somnum non incident, sed vigiles manent, phantasmatibus, et deliriis vexantur. Si largius et copiosius quis opio utatur, stupiditatem, insaniam, sensuum hebetudinem, dementiam, memoriae defectum et fatuitatem producit.

11 *Opium venereum excitat*, et primarium, si refracta dosi sumatur, aphrodisiacum est. Moschum et ambram opio junctam medicamentum aphrodisiacum praestare, asserit *Etmüllerus* et *Hoffmannus*. Plures sunt, qui assumpto opio de insomniis venereis, de tentigine venerea, de pollutionibus nocturnis conquerantur.

Opium est potentissimum diaphoreticum, dia-phoresin cum pruritu movet. Est haec vis opii indubitate, ac omnium certissima. Sudor opio provocatus papulas rubras valde prurientes, vel in toto corpore vel saltem, idque plerumque, in facie excitat. Praeter morsicantem hunc in cute sensum, odor sudoris opium redolens sub-

146 *Sparsa Quaedam*
inde animadvertisit, id quod jam *Dioscorides*
notavit.

13 *Dum opium diaphoresin promovet, simul alias excretiones serosas cohibet.* Hinc mucum na-
rium, oris, faucium, oesophagi, excretionem
humoris cujuscunque sive naturalis sive praeter-
naturalis in aspera arteria, pulmonibus suspen-
dit, et materiem inspissat; succorum gastrico-
rum, enteriticorum, vim peristalticam vesicae
opium inhibet, et lotii tum secretionem in re-
nibus, quam excretionem in vesica tardiorem
efficit.

14 Opium vim ventriculi peristalticam pa-
riter minuit; hinc coctionem tardam, sive bradi-
pepsiam, appetitum prostratum, nauseam, mo-
lestum in praecordiis pondus facit. Ut adeo
opium, saltem saepius datum, iis, qui imbecilli,
delicatoque ventriculo sunt, laxis, mucosis, non
digerentibus summopere noceat, vim ventriculi
contractilem magis adhuc debilitando.

Haec vis opii, omnibus opiata vi praeditis
communis est. Sic nicotiana, sive fumo per
fistulam attracto, sive masticata famem sedat,
aut potius fallit, delendo appetitum, minuendo
motum ventriculi peristalticum. Sic itinerantes,
famelici, milites annona et fame laborantes,
sucto per fistulam fumo appetitum fallunt. Ob
hanc ipsam rationem inordinatus ac praeternatu-
ralis fibrarum ventriculi motus opio compesci-
tur, etsi tamen aliqui sint, quibus opium, pi-
lulari praecipue forma exhibitum, primo nau-
seam, dein lenem vomitum, mox tamen denuo
conquiescentem, producit.

15 Opium, ut fibrarum ventriculi irritabili-
tatem inhibet, sic et fibras intestinorum facit

minus sensibiles, minus irritabiles, ut ideo intestina stimulo contentorum sive bilis, sive excrementorum, sive cuiuscunque rei irritantis minus obedient; hinc opium alvinam excretionem suspendit.

Nolo hic singulos recensere morbos, morborum symptomata, ubi opium aut indicatur, aut non indicatur; nam hac ratione nostrum de febribus illarumque divisione disserendi consilium interturbaretur, quod tamen non injucundum vobis fore, atque etiam prae aliis utile arbitror, cum multa circa febrium divisionem, rectamque illis medendi methodum apud antiquos recentioresque confusio sit, etsi earum curatio medicum ferme sola exerceat.

Attamen, ubicunque occasio erit in decursu explicationis, identidem, velut in transitu, ad usum vel abusum opii respiciemus.

V I.

Antiphlogistica.

In morbo praesenti methodus mere antiphlogistica adhibenda est, solvendum lenissime, liberque humorum motus restituendus. Verum cum haec methodus, antiphlogistica videlicet, toties adhibeat, juvabit exactam habere notitiam eorum, quae strictissimo sensu antiphlogistica adpellari merentur.

Equidem nondum habetur, nec tam facile sperari potest adcurata et genuina inflammationis historia. Verum illud a posteriori videtur esse certum, in quavis inflammatione topica, seu locali esse:

1 Majorem esse humorum sanguineorum affluxum; 2 majorem in parte affecta vasorum, praecipue arteriosorum irritationem, motum, aut ut cum *Baglivio* loquar, crispationem fibrarum; adesse in quavis inflammatione spasmodici quid; 3 sanguinem eductum ut plurimum magis cohaerere, crustamque lardaceam, crassamque exhibere; 4 inflammationi obnoxios potissimum esse eos, quibus major humorum quantitas intra vasa sanguifera continetur, quam quae commode moveri et in circulum duci queat.

Hinc antiphlohistica sunt 1 quae revellunt a parte affecta. Laudant hoc scopo venae sectiones in parte opposita institutas, ita, ut affecto capite sanguis in pede extrahendus sit. Verum, ut hoc subinde in certis circumstantiis bonum sit; tamen quasi arcanum quoddam est. in topicis inflammationibus sanguinem emittere proxime ad locum inflammatum. Haec methodus emitendi sanguinis penes ipsum locum inflammatum tam nova non est, uti quibusdam videbatur, cum jam veteribus non paucis in usu fuerit. Hinc in doloribus capitum, ubi venae sectio prodest, ea in brachio, itemque in vena jugulari, in fronte, aliisque vicinis locis felicissime non raro fuit instituta. In vera, ac sanguinea inflammatione oculorum, sive in ξεροφθαλμίᾳ Hippocratis vanae sectio penes oculum ipsum, id est sanguisugae circa oculum applicatae plus efficiunt, quam repetitae venae sectiones in brachio, pede. In vera aurum, gingivarum inflammatione sanguisugae penes ipsum locum affectum applicatae, item scarificationes cruentae miraculi instar prōdēsse observantur. In apoplexia sanguinea egregius *Valsalva* venam jugularem se-

cuit, itemque in occipite et nucha, quorsum majorem sanguinis affluxum, indeque celeriorem evacuationem ac revulsionem fieri ex anatomicis noverat, cruentas, et profundas scarificationes fecit, remque hanc magni momenti esse arbitrabatur. Ad revellentia pertinent *cucurbitae etiam siccæ*. Sic in uteri haemorrhagie *Galenus* applicuit magnas cucurbitas siccas ad mammae, et ad stomachum. Huc etiam numerantur, scopo quasi revellente, *artuum ligatura*; in apoplexia sanguinea, in omni haemorrhagia artus ligare summopere prodest. Sed queritur, an etiam *sinapismi*, *dropaces*, *vesicantia antiphlogistica* appellari mereantur, ex eo, quod revellentium classi possint adscribi? Respondeo: haec omnia in inflammationibus *serosis et topicis* aliquo modo antiphlogistica vocari posse, quatenus serum superfluum ad partem aliquam depositam eliminant, reducunt, et motum febrilem a sero hoc copiosius collecto ortum indirecte tollunt; verum ex sua natura ad stimulantium numerum pertinent, et in morbis non *serosis*, sed vere inflammatoriis, a sanguine nimio, nimium moto, *orgastico*, *phlogistico*, necessario nocent, vasa per se jam nimium irritata stimulando, motumque humorum, per se jam nimis auctum, incitando.

2 Praeter revellentia antiphlogisticorum nomine donanda sunt ea; quae partes inflammatas, ubi major fibrarum irritatio est, *relaxant*, *emollient*. Hinc deuso venae sectio, utpote summe relaxans remedium prodest; hinc mucilaginosa, emollientia cataplasma, fomenta.

3 Antiphlogistica sunt, quae sanguinem *orgasticum* temperant. Huc nitrum ab omni aevo numerabatur. Nitrum, utrum vera vi quadam

refrigerante, et sanguinem nimium motum temperante gaudeat, nondum videtur exacte determinatum. Sopor ille, sensusque refrigerii, quem linguae imprimit, nihil videtur. Evidem et camphora, spiritus vini camphoratus, olea quae-dam stillatitia, mentha pipirita, hunc refrigerii sensum in lingua producunt, etsi ad calefacentia pertineant. Praeterea vi suae salinae naturae inter lenissima solventia, ad lenissima stimulantia, numerari debet. Videtur potius, magna quantitate aquae dilutum, excretiones omnes et secretiones blande sollicitare; diuresin, diaphoresin, alvum blandissimo suo salino stimulo restituere, quibus functionibus restitutis orgasmus humorum, nimiusque eorum motus sponte cessat; ita ut nitrum nulla specifica vi donatum sit; nimia enim quantitate sumptum, uti omnia reliqua salia media, evidenter stimulat.

4 Ad refrigerantium, sive antiphlogistico-rum classem *Acida vegetabilia* ab omni tempore referebantur; verum saepe impar morbo inflammatorio acidum vegetabile est. Hinc alii *acida mineralia* in auxilium vocarunt. Operae pretium videtur de usu acidorum mineralium paulo latius disserere.

Cum emolumento haec acida jam inde ab Arabum temporibus adhibebantur contra morbos putridos, malignosque. Verum tamen usus eorum largior, et eximia utilitas nostro saeculo videtur fuisse reservata. In morbo maligno vere que putrido, ubi gangraenosa humorum dispositio imminet, acida *vegetabilia* a viribus morbi superantur, atque ipsam corruptionem putredam patiuntur. Verum acida *mineralia* putredini huic potentius resistunt, et imminente gan-

graenam averruncant. Sed hic non agitur de vi illa antiseptica, sed de ea, qua humorum orgasmum, nimium motum, sanguinisque nimiam rarefactionem temperant, tollunt. Egregius practicus *Tissotus* in more positum habet, ut, ubi inflammatoria sanguinis diathesis repetitis evacuationibus non cedit, ubi vis acidorum vegetabilium enervatur, ubi aestus calorique mordax aegrum torquet, ibi statim ad acida mineralia confugiat. Frequens observatio praestantem hunc practicum docuit, acida mineralia non solum in malignis, sed et inflammatoriis morbis, praecipue rebellioribus convenire, Expendendum restat, ut definiamus, an in omni febre inflammatoria usus acidorum mineralium conveniat?

Respondeo: quamdiu fibrarum nimia tensio ac strictura est, in corporibus hominum robustorum laboriosorum, emollientia, aquosa, tepida, acida, vegetabilia potius convenire. Verum ubi fibrarum nimia crispatio non est, ubi adhibitis licet emollientibus, aquosis, tepidis, acidis, vegetabilibus nil proficitur, ubi aestus increscit, febrisque augetur, ubi a longe imminet mutatio morbi inflammatorii in malignum, in febribus inflammatoriis foeminarum, imbecillium alias, cochymicorum, scorbuticorum, egregie convenit acidorum mineralium usus.

Universim, ibi auxilium ab acidis mineralibus in febre inflammatoria habetur, ubi sanguinis missio, et potus emolliens solvensque effectu carent. Febres inflammatoriae in principio aestatis saepe septici quid habent; et de morbis aestatis adultae et autumni quid participant. Praeterea, si febris inflammatoria ipso hoc tempore aestivali vel autumnali oriatur, facillime in

malignam migrabit, praeципue si evacuationes saigninis per venaे sectionem nimiae fuerint, aut etiam sua sponte brevi inflammatoria in malignam abibit. Hinc acida mineralia tunc maxime indicantur, quae potentissima antiseptica vi gaudeant, interim autem omni inflammante, irritante aramate carent. Camphora aequa fors antiseptica est, ac acida mineralia, verum ob vim stimulantem, incitantem, sudoriferam saepius nocet, ubi acida mineralia prosunt.

Videamus effectus ab acidis mineralibus in corpore humano observatos.

1 Evacuationes omnes, si languent, blande sollicitantur, urina, alvus, diaphoresis.

2 Putredini, quae etsi in febre inflammatoria non reperiatur, attamen ob motum humorum caloremque auctum imminet, resistit.

3 Modo quodam inexplicabili, sed tamen per observationes certo, sanguinem rarefactum orgasticum temperat, et febrem minuit.

4 Vi quadam quasi specifica delirium avertunt, quemadmodum enim aer frigidus liberque orgasmum humorum in variolantibus temperat, deliria, convulsiones quasi momento abstergit, ut primum is, qui ex insitivis variolis decumbit e cubiculo suo in aerem liberum defertur, ita eadem febrium inflammatoriarum symptomata ab acidis mineralibus afferuntur.

Dosis eorum varia est. Olim, uti et nunc, quidam admodum parci sunt, atque ad mensuram decocti paucas solum guttulas audent praescribere. Verum magna quantitate absque in commodo ingeri secure potest. Nos id solum discriminis observamus, ut in morbis inflammatoriis paulo rebellioribus, attamen nequid vere

malignis parcus, largius vero in vere malignis
acida mineralia praescribamus.

Nostrae formulae sunt:

Rec. decocti hord. Libras IV.

Spiritus vitriol. Drach. ij.

Sacchar. candi. aut thom. q. s.
ut acor temperetur.

M.

Drachmae ij spiritus vitrioli ferme omnium
minima dosis est; praescribitur ad dr. iij. —
unc. β. — dr. vj. Sacharum thomae ex eo praef-
ferimus albo, quod hoc ultimum, album vide-
licet, in sua praeparatione et depuratione ulti-
ma illud mucilaginosum obvolvens, et sapona-
ceum illud vegetabile omiserit, saccharum vero
thomae adhuc possideat.

Alia formula est,

Rec. Roob. ribes. Libr. β.

Spir. vitriol. unc. β.

M.

Omni bihorio duo cochlearia. Sic inter 24
horas uncia una assumitur. Nos absque ullo in-
commodo foeminae maligna febre laboranti de-
dimus intra 20 horas decem drachmas spiritus
vitrioli.

Addimus subinde mixturis antisepticis spi-
ritum vitrioli. Consueta in malignis formula
est haec.

Rec. Rad. Serpent. virg. dr. ij.

Infunde cum lib. ij aquae fervent.

Sparsa Quaedam
dein adde
Spiritus vitriol. 3 1 — iiij.

M.

Assumat hujus infusi omni bishorio ^{r. ii.} dcum
Haee formula utique in solis malignis,
pulsu humili , vereque debili convenit.

Finis Pars VI.